PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. L. 1961 - FASC. I

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
Los Gatos, Calif.

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

56871

v. 50
1961

IMPRIMI POTEST

Romae, die 12 Ianuarii 1961

P. Paulus Muñoz Vega, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

E Vicariatu Urbis, die 27 jan. 1961.

† Aloysius *Card. Provicarius*

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

CRITERIA NULLITATIS SENTENTIAE IUDICIALIS

PRAELIMINARIA

Difficultates haud paucae solutae sunt cc. 1680 et 1 1 Codicis Vigentis quod spectat criteria nullitatis actuum iuridicorum in iure canonico.

Sane, in veteri iure Ecclesiae ad hoc perventum fuerat, ut regula iuris 64 in *VI°*: « *quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi* », intelligeretur de iis quae contra legem seu leges et canones irritantes, non item de iis quae contra simpliciter dumtaxat prohibentes et praecipientes fiunt, nisi per has praescriberetur forma actus [1]; nam etsi verum sit, quod regula illa originem materialem trahit ex lege « Non dubium », cuius vis ea erat, quod actus contra quamcumque legem prohibentem nullus foret [2], tamen ipsa qua talis in foro canonico recepta non fuit, saltem a certo tempore, prout

---

1 A. REIFFENSTUEL, *Ius canonicum universum*, De reg. iuris, cap. II, reg. 64, n. 3. Similiter sentit I. WIESTNER, *Institutiones canonicae* (Monachii 1705) V, 41, De reg. iur., reg. 64, n. 2: « Sensus regulae est: quae fiunt contra legem vel canonem munitum clausula irritante aut actui formam praescribente, ipso iure invalida, et pro infectis seu non factis habenda sunt ».

2 *Codex Iustinianus* I, 14, 5: « ...ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est ».

deduci valet ex alio bene noto textu canonico contrario: « quia multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem » [3].

Porro, certum est quemdam textum S. Gregorii [4] sonare sensu adhuc legis « Non dubium », utpote in ea expresse nixum; Suarez tamen, acute examinata quaestione, etiam pro illo tempore S. Gregorii negat habuisse locum canonizationem praefatae legis, cum S. Gregorius usus fuerit ea lege imperiali (« Non dubium ») ad effectum alterius legis etiam imperialis, quae prohibebat monachos testari [5].

Actus igitur nullus habebatur in antiquo iure canonico ille dumtaxat qui poneretur contra legem habentem clausulam irritantem vel praescribentem formam actus. Immo, eximius Suarez facile princeps in hac re, sicut et in reliqua theoria generali legum in utroque iure, progressus ulterius fuerat; agnoscens enim difficultatem sciendi qualis nimirum forma ut substantialis seu ad validitatem praescriberetur, et qualis non, acutissime scripserat: « *regula moraliter loquendo generalis haec est: si lex det formam et addat clausulam, ut actus aliter factus non valeat, aut sit irritus aut inutilis aut aliquid simile* » [6]. Quae tamen regula ab auctoritate legislativa nunquam ante Codicem nostrum data est.

Codex totam rem duobus memoratis canonibus ordinavit magna quidem cum utilitate theorico-practica.

---

[3] *Greg. IX Decretal.* lb. III, tit. 31, c. 16 (ed. Friedb. 2, 575).

[4] *Grat. Decretum*, C. 25, q. 2, c. 13: « Imperiali constitutione sancitum est aperte, ut ea quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint » (Friedb. 1, 1015).

[5] F. SUÁREZ, *De legibus* V, 28, 5; O. ROBLEDA, *Doctrina de Suárez sobre las leyes irritantes*, in: *Actas del IV cent. del nacimiento de Francisco Suárez*, t. 2 (Madrid 1948) 148. Relationem aliarum opinionum invenies etiam in: G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici* (Parisiis - Tornaci - Romae 1949) 333 s.

[6] SUÁREZ, *op. cit.*, V, 32, 1. Vide ampliorem rei expositionem in nostro scripto citato.

A) *C. 1680.*

In hoc primo canone agitur de omni actu nullo, seu de omni specie nullitatis; naturalis, scilicet, et positiva, ac de naturali dicitur eam haberi sine alio cum desunt elementa constitutiva actus; de positiva vero, eam dari solummodo, cum sollemnia seu condiciones desunt quae postulantur a lege (positiva).

Quod spectat nullitatem naturalem seu postulatam ab ipsa natura rerum, canon est mere declarativus; siquidem agitur de nullitate vocata potius *inexsistentia* actus; et si actus non existit, non eget effici seu statui nullus a lege. Unde, etiamsi non exstaret canon qui diceret actum esse nullum, nullitas naturalis sequeretur eodem modo; nam deficientibus elementis essentialibus actus: subiectum (privatum vel publicum secundum quod de actu privato vel publico agatur), causa materialis et causa formalis actus, nequit hic in rerum naturam produci.

Et quidem, recte intellige illud *naturale* seu *natura* actus. Sane, non sumitur ea exclusive pro essentia actus postulata a iure naturali, sed et pro essentia postulata a iure positivo. Potest enim, ius seu ordinamentum positivum construere seu inducere pro bono societatis institutum aliquod iuridicum nullam exsistentiam sive essentiam inspecto solo iure naturali habens, quam proinde, ius positivum dumtaxat formaliter invenit. Iam, etiam ea est quaedam natura seu quaedam essentia, quantumlibet positiva, ad quam refertur prima illa pars paragraphi primae c. 1680; a qua proinde etiam bene distinguenda sunt sollemnia et condiciones de quibus in secunda parte eiusdem paragraphi sermo est.

Quod vero spectat nullitatem positivam, canon est, e contra, vere constitutivus: nullitas efficitur tunc ab ipso; aliis verbis, nullitas haec habetur, quia canon ille sic disponit.

Age nunc, respectu istius nullitatis positivae, canon quoad aliquid recipit ius vetus; quoad aliud vero, id modificat et complet.

Recipit ius vetus, seu potius doctrinam veterem quatenus — contra id quod lex « Non dubium »

praecipiebat — non omnem legem prohibitivam irritantem facit, sed eam solam quae contineat poenam nullitatis.

Modificat et complet, quatenus non addit illud quod antea indicebatur, scilicet, esse legem irritantem etiam eam quae formam actus praescriberet. Dicit ergo laudatus canon unum dumtaxat esse modum inducendi nullitatem positivam actus, vel quod est idem, faciendi legem aliquam irritantem: statuendo in lege poenam nullitatis [7].

B) *C. 11*

In hoc vero secundo canone agitur de sola nullitate positiva; exclusa, hinc, naturali, ut videtur [8]; coincidit, idcirco, cum secunda tantum parte c. 1680, § 1, determinando praecise quandonam vel quomodo sollemnia vel condiciones sub poena nullitatis requirantur, nimirum: quando id dicatur *expresse vel aequivalenter*.

Quod relationem attinet istius c. 11 ad doctrinam veterem, eadem datur atque inter eam et c. 1680, § 1 parte secunda, iuxta supra dicta. Hoc bene notato, quod nequimus convenire cum iis, qui in verbo « aequivalenter » inclusam praecise illam antiquam praescriptionem formae actus volunt, ac nihil additum, proinde, fuisse tenent iure Codicis antiquo iuri seu antiquae interpretationi istius instituti. Revera, antiqui bene distinguebant inter illas duas res: praescribere nullitatem et praescribere formam; qua de causa de uno et altero mentionem semper faciebant; et inde etiam eximius Suarez, ut insinuatum est, animadvertens magnum discrimen inter alias et alias formas, i. e., inter intrinsecam et extrin-

---

[7] Quod Suárez necessarium insinuarat, in ius authenticum nunc conversum est.

[8] Num irritantes et inhabilitantes leges in iure canonico habendae sint in genere sensu pleno solum eae, quae ex iure positivo actum reddunt nullum, vel etiam nullitatem naturalem declarant, sunt sententiae diversae. G. MICHIELS (*op. cit.*, 321 s) hoc ultimum tenet. Nos inclinamur potius in primam; cf. *La nulidad del acto jurídico* (Comillas 1947) 131 ss.

secam seu accidentalem (ad sollemnitatem) exstare, ac cogitans formam in casu nostro intelligi non illam primam, sed hanc secundam (ad sollemnitatem), scripsit iuste, prout dictum est, aliam regulam certam non haberi tunc pro inducenda vel noscenda nullitate actus quam: « si praescribatur forma, et insuper addatur eam requiri sub poena nullitatis »; quod idem est ac dicere non sufficere solam praescriptionem formae. Hoc praecise, ut nobis videtur, relucet obvie in c. 11 nostri Codicis.

P a u c i s e r g o. In Codice vigenti iuris canonici id significatur: nullitatem esse naturalem et positivam. Quod primam attinet, non requiritur textus aliquis Codicis qui eam comminetur vel, de se, eam declaret; sequitur enim virtualiter ex defectu ipso elementi essentialis actus; sufficit proinde, naturam seu essentiam actus inspicere ad eam dignoscendam. Haec est ratio cur in legislatione sufficiat illa prima pars paragraphi primae c. 1680, ita ut in c. 11 nulla iam sit pars quae respondeat c. 1680 in dicta parte. Ad positivam vero requiritur, e contra pro omni casu clausula annullativa actus expressa vel aequivalens; intelligendo pro « aequivalens » alia verba idem significantia, ex. g., « momentum non habere », « effectum non habere », « vi carere », etc.

Nunc autem quaeritur: suntne haec principia generalia Codicis, seu isti duo canones 1680 et 11, simul cum illis aliis in quibus de nullitate singularum specierum actuum quaestio est, adeo clara et sufficientia ut omne dubium in hac re exulare faciant? Intendimus nos heic hoc praecise: institutum unum considerare, sententiam scilicet iudicialem, in quo vel quo mediante illa principia examini subiiciemus, ut valorem horum quasi in trutinam revocemus.

SENTENTIAE IUDICIALIS NULLITAS

Problema residet, ut facile patet, in cc. 1892, 1894, cum statim quaeratur utrum aliae causae nullitatis sententiae praeter ibi recensitas sint, et quales. Difficulter respondetur alias istiusmodi causas nullitatis non esse. Si autem sunt, quo remedio tractantur?

I. Opiniones variae

Sunt qui teneant enumerationem casuum sententiae nullae in cc. 1892 et 1894 factam non esse exclusivam; hinc dari et alios; prae primis, omnes naturales; dein, etiam plures positivos, illos saltem in quibus ob certas violationes legum processualium iudicium dicitur nullius esse momenti (c. 1761, § 2), vel acta dicuntur nulla (cc. 1585. 1587). Pro talibus casibus datur, aiunt assertores huius opiniones, remedium querelae nullitatis eodem modo atque pro inclusis in cc. 1892, 1894 [9].

Dicunt alii enumerationem praefatorum duorum canonum esse, e contra, exclusivam; at solum quoad possibilitatem instituendi querelam nullitatis sententiae, quia de hoc praecise ibi agitur: de casibus nullitatis, in quibus succurrendum, est querela. Quod spectat nullitatem ipsam, dantur, certe, aiunt, et alii plures casus nullitatis; pro quibus tamen remedium erit unicum *rest. in integrum* ad normam c. 1905 [10].

---

[9] Sic Em.us card. F. Roberti, *De processibus*, vol. II, 226 ss. Eum sequitur A. Hanssen, *De sanctione nullitatis in processu canonico* (Excerpta ex ephem. *Apollinaris*, vol. 11-12, 1938-1939; Romae) p. 165.

[10] Sic v. g., F. della Rocca, *Le nullità della sentenza nel diritto canonico* (Roma 1939) 163: « Non si tratta invero di stabilire se, oltre i casi fissati dai c. 1892 e 1894, vi possano essere altri casi di nullità (per cui sarebbe infondata la tesi della esclusività della enumerazione, dal momento che altri canoni espressamente contem-

Tenet dein Crnica, conveniens in hoc cum auctoribus immediate praecedentibus, enumerationem praefatorum cc. 1892, 1894 esse exclusivam, eamque referri ad possibilitatem instituendi querelam nullitatis, non ad casus ipsos nullitatis. Discrepat tamen ab illis inquantum negat succurri posse in casibus istis nullitatis *restitutione in integrum*. Cum vero nec querela pro ipsis detur, ut dictum est, arguendus est Codex gravi defectu seu vera lacuna in casu [11].

Tandem alii, ut Vidal, *videntur* propugnare exclusivitatem enumerationis supra dictorum duorum canonum, et quidem quod spectat non solum querelam, sed et ipsos casus nullitatis sententiae. Quaevis ergo alia violatio legis processualis non provocabit nullitatem sententiae; erit tamen tunc remedium *restitutionis in integrum*, si de violatione gravi agatur, qualis habetur semper in illis nimirum casibus in quibus alii dari nullitatem non in-

---

plano motivi di nullità non compresi nei c. 1892 e 1894), ma di accertare se i motivi di nullità stabiliti dai c. 1892 e 1894 sono gli unici per cui possa essere esperita la querela. I motivi di nullità esclusi dalle elencazioni dei citati canoni saranno fatti valere coll'altro rimedio straordinario della restitutio in integrum ». Similiter M. CABREROS DE ANTA, *Código de Derecho Canónico bilingüe y comentado* (Madrid [6]1957) 713, ad c. 1905: « Creemos que la restitución in integrum puede concederse en los casos de nulidad por infracción de la ley procesal no comprendidos en los canones 1892 e 1894, así como tambien siempre que la evidente infracción de la ley procesal cause grave perjuicio a uno de los litigantes y la sentencia sea inapelable; finalmente cuando ocurra alguno de los casos de nulidad comprendidos en el canon 1894, e inculpablemente haya transcurrido el tiempo hábil para entablar la quelella contra la sentencia ». Tandem, immo maxime, S. D'ANGELO, *De restitutione in integrum iuxta can. 1905* § *2, 4°*: Periodica 18 (1929) 37* ss.

11 A. CRNICA, *Defectus Codicis i. c. in designandis normis pro querela nullitatis*, in: *Ius Pontificium* 15 (1935) 148 ss: « ... Debuit [Codex] tamen idem [refertur ad incisum: « si legis praescriptum evidenter neglectum fuerit »] relinquere etiam pro querela nullitatis, quia amotione illorum verborum lacuna pro eadem exorta est, ut patet ex illis nullitatibus pro quibus in Codice nullum est iuris remedium provisum ».

clusam in cc. 1892 et 1894 asserunt, nisi appellatio possibilis sit [12].

II. Nostra interpretatio

A) *Restitutio in integrum et nullitas sententiae.*

Credimus in primis attento iure Codicis non posse succurri *rest. in integrum* in ullo casu nullitatis sententiae. Igitur illi praesumpti casus nullitatis cc. 1585. 1587 etc., siquidem tales revera forent, aliter quam per *rest. in integrum* impugnandi essent.

a) Profecto, ipsa idea *restitutionis* supponit actum iuridicum — sententiam proinde, quae talis est stricto sensu —, validum; aliis verbis, supponit mutationem respectu status antecedentis iurium. Nunc autem, sententia *radicaliter* nulla, qualis in iure canonico intelligitur — etiam sanabilis — haud aliqua mutatio status praecedentis iurium efficitur. Quamobrem, dato et non concesso, quod ille « evidens neglectus praescripti legis » (c. 1905, § 2, n. 4), propter quem admittitur *rest. in integrum*, intelligatur ut relatus etiam ad legem processualem qua talem, ac proinde quod rest. in integrum concedi posset in casu violationis canonum 1585, 1587, etc., i. e. in absentia notarii, promotoris iustitiae etc., minus certe absonum conceptui talis remedii videretur quod eo corrigeretur in talibus casibus iniustitia mere legalis alicuius sententiae validae quam, quod eodem nullitas impeteretur huiusce.

b) Haud facile convincit argumentum Della Rocca desumptum ex c. 1905, § 1 et propositum his verbis: « La

---

[12] F. X. Wernz - P. Vidal, *Ius can.*, ²VI: *De process.*, p. 593: « Extra casus hoc loco Codicis enumeratos, petitio declarationis nullitatis sententiae non procedit. Quare ... si c. 1761 § 2, sancitur iudicium nullius esse momenti cum, receptis per decretum iudicis novis probationibus post conclusionem in causa, alteri parti congruum tempus datum non fuerit ut eas cognoscere et se defendere valeat etc., ex his et similibus iuris praescriptis non datur parti locus querelae nullitatis, sed aut appellationis aut pro diverso casu restitutionis in integrum ».

dizione stessa del c. 1905, § 1 (Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis ...) ammette la possibilità che vi siano motivi di nullità non proponibili in via di querela » [13].

Porro, verba illa canonis significare obvie videntur quod, quando sententia sit iniusta, sed inappellabilis ex motivis contentis in c. 1880, nec sit praeterquam iniusta etiam invalida, ita ut via querelae nullitatis impugnari nequeat, recurratur ad remedium extraordinarium *rest. in integrum.*

c) Confirmatur assertio nostra verbis ipsius c. 1905, § 1: « intra fines c. 1687, 1688 ». Significatur quidem istis verbis firma manere quae in his duobus canonibus dicuntur; iam vero, heic praescribitur *rest. in integrum* dari negotii validi sed rescindibilis. Nec fas est dicere illa verba c. 1905, § 1, referri solum ad personas in quarum favorem *restitutio* conceditur; quia gratis omnino id affirmaretur. Talia verba exprimere intendunt absque ullo dubio remedium istud, idem omnino quod applicatur in negotiis seu in actibus iuridicis privatis, cum suis limitibus, sub eadem interpretatione et conceptu applicari etiam in sententia iudiciali. Si ergo negotia illa supponuntur valida id idem de sententia dici debet. Aliter rem intelligere, videretur rectae exegesi iuridicae repugnare.

d) Praeterea, insistentes adhuc in ratione *extraordinarii* remedii *rest. in integrum,* haud bene intelligitur quo pacto admitti posset *rest. in integrum* pro casu nullitatis, exstante tunc *ordinario* querela, scilicet, nullitatis pro sententia; sicut nec datur pro actibus iuridicis privatis, exstante actione nullitatis (c. 1687, §§ 1 et 2). Ideo Card. de Luca, loquens de his duobus remediis sententiae: *querela* nullitatis et *rest. in integrum,* vocans quidem illud *ordinarium,* istud vero, *extraordinarium,* scribit — nihil novum, de reliquo, dicens respectu generalis doctrinae canonicae —: « istud, vero, posterius, subsidiarium in iure dicitur, illudque non intrat quando suppetat primum

---

13 Della Rocca, *op. cit.*, 163, nt. 42 [vide supra, nt. 10].

ex generali propositione quod non intrant remedia extraordinaria quando ordinaria habentur »[14].

Sed dices, hoc praecise nunc accidere quod desit querela nullitatis, ob exclusivitatem enumerationis cc. 1892 et 1894, quae refertur non ad nullitatem, sed ad *querelam;* ac, proinde quod intret tunc logice *rest. in integrum.*

Non solum animadvertimus hanc obiectionem, sed ultimatim contra eam procedere vult tota nostra argumentatio. Iudicamus enim anteiuridicum esse quod, si alii sunt casus nullitatis, non detur pro his *querela,* seu remedium *ordinarium.* Igitur duorum alterum: aut non sunt alii casus nullitatis, aut si sunt, debet dari *querela* et non remedium extraordinarium ad eos impugnandos, seu aliis verbis, enumeratio nequit esse tunc exclusiva.

d) Ipsa verba: « dummodo de evidenti iniustitia *rei iudicatae* constet » (c. 1905, § 1) ea omnia quae diximus comprobare videntur. Supponitur equidem in casu restitutionis in integrum *rem esse iudicatam,* at res iudicata supponit sua vice validam sententiam, vel originaliter vel, saltem, ob sanationem supervenientem. Quis enim diceret sententiam aliquam *nullam* transire in rem iudicatam sine convalidatione? Hinc patet iterum cohaerentia totius paragraphi — sensu a nobis dicto — primi mentionati canonis: solum sententia valida, inappellabilis, ac proinde, quae in rem iudicatam transiverit (c. 1880, n. 4; 1902, n. 3), potest restitui in integrum.

B) *Restitutio in integrum, nullitas et leges processuales.*

Venientes nunc ad discutiendam opinionem Vidal, eam simul cum praecedenti (ulterius) improbatam considerare intendimus.

Profecto nec etiam credimus *rest. in integrum* adhiberi posse ut remedium contra violationes legum processualium *qua talium* — in casibus, proinde cc. 1585. 1587 etc., etiamsi supponatur eos non esse casus nullitatis —,

---

[14] I. B. card. DE LUCA, *Theatrum veritatis et iustitiae,* lib. XV, pars 1: De iudiciis, disc. 38, n. 2 (Neapoli 1758) p. 136.

siquidem incisus ille c. 1905, § 2 n. 4: *nisi legis praescriptum evidenter neglectum fuerit,* non refertur ad illas leges, sed ad ius substantivum.

Hoc propugnatum iam fuit ab Em.mo Roberti [15], Crnica [16] et aliis. Vellemus tamen insistere in certis rationibus easque fortasse in aliquo roborare.

a) Ex iure Codicis.

Revera in Codice videtur dici satis clare remedium *rest. in integrum* dari in casibus iniustitiae privatae seu substantivae:

Explicite omnino, in cc. 1687 et 1905, § 1, sic, in primo: « *Minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis ... ad laesionem reparandam* »; et in secundo: « *dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae constet* ». Sensus talium verborum secumferre videtur quod, si quadam sententia memoratis personis iura ab ipsis postulata reddantur, vel reparatio damnorum eis satis fiat, nequeant de aliquo alio queri apud iudicem, quantumvis praescripta processualia observata in iudicio non fuerint. Quid eorum interesse poterit quod subscriptiones defuerint, vel quod acta sine condicionibus requisitis ratione actus vel personae peracta fuerint? Intererit eorum aliquomodo, certe, sed remote, in quantum ius stricte publicum redundat etiam in bonum privatorum; sed non ita, ut eis permittatur reactio *urgentiae* contra *publice* operatum.

Implicite autem, in ipso c. 1905 enumeratione trium primarum hypotheseon, pro quibus *rest. in integrum* conceditur. Ibi enim nimis patet agi de casibus iniustitiae privatae, seu de violatione iuris substantivi, ergo similiter res se habere debet in quarta hypothesi quam discutimus, cum in relatione sit, eodem pacto ac praecedentes, cum generali inciso: *de iniustitia autem manifesto constare non censetur nisi*: ... »; debet nempe agi de neglectu tali qui ducat in iniustitiam, ut praecedentes: ille autem esse

---

15 *De processibus,* II, 259 ss.; *Circa limites querelae nullitatis et restitutionis in integrum,* in: *Apollinaris* 1 (1928) 479 ss.

16 *Artic. cit.,* p. 151 ss. [supra nt. 11].

nequit, nisi legis substantivae. Porro, violatio legum processualium *qua talium* ducere potest in nullitatem actus et sententiae, sed directe in iniustitiam, non, quia non sunt ad concedenda iura subiectiva personalia sive substantialia, sed ad bonum publicum [17].

b) Ex historia

1) *Ius romanum.* Profecto, si in iure romano unde *rest. in integrum* originem trahit, lucem aliquam quaerere volumus, scimus applicatam eam fuisse Romae inde a lege *aebutia* (med. saec. II a C.) vel fortasse iam antea, a magistratibus imperio praeditis [18], et supponere ante omnia actum iuridicum restituendum, etiam processualem (litis contestationem vel sententiam), *validum.* De hoc nemo omnino dubium aliquod movet [19].

Immo, ante tempus postclassicum, cum remedia praetoria ius civile — ius proinde strictum —, non constitue-

---

[17] Ideo tenemus nullitatem etiam sanabilem characterem vel fundamentum habere publicum, non privatum (aliter P. Vidal, *De processibus,* 2ed. p. 587), e contra atque rescindibilitatem et rest. in integrum, — aequivalentem hanc ultimam cuidam verae rescissioni —, quae charactere potiuntur privato. Ideo conceduntur haec ob metum, dolum, minorem aetatem ... i. e., ob motiva ordinis privati; illa vero (nullitas etiam sanabilis), ob violationem ordinis publici qua talis, i. e., formalitatum praescriptarum ad artificiale quoddam operatum sociale. Ideo praecise lex ipsa invalidat actum, antequam vel sine eo quod partes ipsum impugnent. Cf. plura de his in O. Robleda, *La nulidad del acto jurídico* (Comillas 1947) 128 ss.

[18] Vide tamen M. Lauria, *Iurisdictio,* in: *Studi Bonfante,* II (Milano 1930) p. 524, et passim; nunc sufficiat conferre D. 50, 1, 26.

[19] Cf. pro omnibus F. C. v. Savigny, *Sistema del diritto romano attuale,* Vers. v. Scialoja, VII (Torino 1896) 119 ss.; O. Carrelli, *Sul Beneficium restitutionis,* in: *Studia et Documenta Historiae et Iuris* 4 (1938) 5 ss. Hic, v. g., scribit: « E notto come il provvedimento de restitutio in integrum, quel provvedimento cioè preso dal magistrato munito di *imperium,* mediante il quale previo un esame del caso (causae cognitio), egli dichiarava di non riconosciere nei suoi effetti un atto o fatto giuridico pienamente valido secondo il ius civile ... una estinzione o una modificazione dei diritti ... » (p. 5).

rent, ipsa *restitutio* rerum in pristinum suum statum non habetur nisi per fictionem; aliis verbis, mutatio iuridica effecta per actum iuridicum (in casu nostro, per sententiam) non destruitur iuridice, sed hoc solum obtinetur: *quasi* nihil operatum seu peractum *maneat* [20]. Deinde, tempore postclassico, certe nulla fictio, iam habetur, quia ius est tunc unum; unde eodem (iure) quo actus seu sententia producit effectus iuridicos, restitutio eos dissolvit seu destruit, ita ut iuridice nihil remaneat praecedentis effectae mutationis.

P a u c i s. Ante tempus postclassicum adeo validus supponitur actus, ut nec vera et obiectiva rescissio eius habeatur mediante *rest. in integrum;* tempore, e contra, postclassico actus, seu melius, effectus actus certe destruitur; at destruitur seu rescinditur, quia validus supponitur.

Habita fuit *rest. in integrum,* praeterea, in iure romano ut remedium *extraordinarium* ad impugnandum actum. Extraordinarium quidem, initio, eo quod tantum si alia remedia non forent, seu si ius civile non succurreret in casu, recursus fieret ad magistratum, ut suo suppleret imperio. Unde praecise qui talem *rest. in integrum* habere cuperent, eam non exigebant nec exigere poterant, utpote qui expertes iuris positivi essent, sed *impetrabant, implorabant, supplicabant;* et magistratus annuentes, *subveniebant, succurrebant, adiuvabant, auxilium praestabant* [21]. Extraordinarium, dein, tempore postclassico, cum iam *eadem* verba: *auxilium, beneficium,* non idem tamen significent ac antea, id est exclusionem stricti iuris, sed concessionem stricte iuridicam, quia, stantibus aliis remediis impugnativis actus, non dabatur restitutio, quantumcumque nunc iam in vero iure fundata.

---

20 Accurate ad rem Savigny: « ... deve aggiungersi che questa reintegrazione dell'anteriore stato, ottenuta solo coll'esercizio della potestà del magistrato, non viene designata come una propria e vera reintegrazione, ma solamente come una finzione di essa » (*Sistema,* VII, 121. Vide et Lauria, *Iurisdictio,* p. 5288 [supra nt. 18]).

21 Vide in Carrelli, *op. cit.,* 6; F. De Martino, *La giurisdizione in dir. romano* (Padova 1937) 235.

Certe animadvertendum est quod decurrente isto tempore postclassico, et maxime inde a Iustiniano, *rest. in integrum* accedit in campo processuali ad remedium appellationis, hoc sensu quod non iam solam et meram rescissionem sententiae et repristinationem status antiqui rerum et iurium efficiat, sed et novum examen causae ac modificationem positivam decisionis importet; ita sane, ut iste status sic repristinatus seu potius modificatus in rem iudicatam transire possit [22]. Ita, ratio remedii extraordinarii *rest. in integrum* etiam ac consequenter deficit quadantenus respectu appellationis; at non, certe, respectu « infitiationis » sententiae *inexsistentis* seu *nullae* [23].

Tandem, quod spectat causas *rest. in integrum*, nunquam in iure romano ipsae fuerunt violationes processuales. In genere *rest. in integrum* concedebatur — dicitur continuo in fontibus — pro casibus iniustitiae, iniquitatis, laesionis [24], attento, ut plurimum sequenti *commento* Pauli: « Integri restitutionem praetor tribuit ex his causis, quae per metum, dolum et status permutationem et iustum errorem et absentiam necessariam et infirmitatem aetatis gesta esse dicuntur » [25].

2) *Ius canonicum.* In iure antecodiciali ultra citationes Em.mi Roberti [26] ad quas lectorem remitto, auctoritatem trium tantum auctorum per modum exempli praebeo.

Wiestner, exponens condiciones *rest. in integrum*, scribit: « Requiritur primo ut contractus seu actus quo laesus restitui petit, sit validus ...; quia restitutionis remedium rescissorium est, id autem quod ipso iure inva-

---

[22] Cfr. B. Biondi, *Appunti intorno alla sentenza nel processo civile romano*, in: *Studi Bonfante*, vol. IV (Milano 1930) 97 ss.; L. Chiazzese, *Confronti testuali* (Cortona 1931) 340.

[23] Vide pro omnibus R. Orestano, *L'appello civile in diritto romano*, litt. (Torino 1953) 269 ss. Heic habes et citationem fontium; V. Scialoja, *Procedura civile romana*, Ristampa (Roma 1936) 309.

[24] Perlustrari possunt D. 4, 1 (per integrum titulum); D. 4, 4 (per integrum titulum); C. 2, 46 ss.

[25] Paulus, *Sent.* I, 7, 2 (cf. *Digest.* IV, 1, 2: ed. P. Krueger p. 50, nt.).

[26] *De processibus*, II, 260, nt. 1.

lidum nullumque est frustra petit rescindi »; addens: « Casu tamen quo dubium esset de contractus vel alterius actus valore vel nullitate peti alternative seu disiunctive potest: ut vel contractus pronuntietur nullus: vel si iure valeat, laesus in integrum restituatur. Secundo requiritur ut qui restitutionem petit sit laesus » [27].

Reiffenstuel definit ita institutum: « Rest. in integrum est extraordinarium iuris remedium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum, quo fuerat ante laesionem » [28]. Et scribens illico de condicionibus *restitutionis*, postulat, ut laesio sit gravis (n. 7, II), et ut actus sit validus (n. 14, IV).

Tandem en definitionem Wernz: « Restitutio in integrum est remedium iuris extraordinarium, quo qui notabiliter laesus est, ob aequitatem naturalem a iudice competente reducitur in statum ante laesionem » [29]. Ac dicens de condicionibus, addit: « I. Ut non supersit aliud remedium iuris ordinarium, veluti actionis, appellationis, querelae nullitatis. II. Ut negotium gestum vel sententia iudicialis sint ipso iure valida; etenim contra actus legitimo valore destitutos datur remedium potius ordinarium querelae nullitatis » (ibid. n. 734).

c) Ex congruentia cum iure civili.

Afferemus exemplum unum tantum, ius scilicet, processuale italicum. In « Codice di procedura civile » *revocatio*, quae respondet, ut plurimum nostrae *rest. in integrum*, supponit Tillius sententiam validam ;ita ut causae sint plus minusve eaedem quae in nostro iure sunt, velut dolus partis, documenta nova decisiva contra sensum sententiae prolatae, probationes falsae deprehensae (= c, 1905, § 2, n. 1-3). Non haberet igitur sensum iuridicum revocatio sententiae NULLAE. Speciatim, non proponitur ut causa revocationis « *violatio alicuius normae iuris*, ubi inclusa esse posset causa nullitatis sententiae, supposito

---

27 Wiestner, *Institutiones canonicae*, 41, n. 2-4.

28 Reiffenstuel, *Ius canonicum universum*, I, 41, n. 3.

29 Wernz, *Ius decretalium*, V, n. 728 (Prati 1914) 556.

quod ea verba referrentur etiam ad leges processuales *qua tales.*

Certum est quod praefata *violatio normarum iuris* habetur praecise ut motivum *cassationis* (art. 360, n. 3), quae accedit in aliquo ad nostram *querelam nullitatis.* Si ergo, apud nos, seu in Codice iuris canonici, tale motivum impugnationis non supprimitur, sed ponitur inter causas *rest. in integrum,* significari eo posset quod nobis obtinere fas sit hoc remedio, in casu violationis praescripti legis, quod ordinamentum civile obtinet *cassatione;* agetur de eadem causa mutata simpliciter sede.

Pro responsione consulto diximus cassationem *accedere* solum *in aliquo* nostrae querelae. Illa substituit, utique, querelam, sed plus comprehendit; profecto, art. 360 enumerat 5 motiva cassationis, inter quae, 4° loco: « per nullità delle sentenze o del procedimento » [30].

En ergo primam responsionem ad obiectionem insinuatam. Si ut motivum cassationis enumeratur praeterquam *violatio vel falsa applicatio alicuius normae iuris,* etiam *nullitas sententiae, clarum est* quod haec non includitur in illa.

Etiam illud: « vel falsa *applicatio* normae iuris » obvie significare videtur agi de norma substantiva. Ad rem Carnelutti, excludens non solum casus nullitatis, sed violationes processuales in genere: « Si può qui proporre il dubbio se la formula dell'art. 360 n. 3°: per violazione o falsa applicazione di norme di diritto, poichè tali sono anche le leggi o comunque le norme processuali, non permetta di ritenere che debba essere cassata la sentenza quando abbia commesso violazione o falsa applicazione d'una di tali norme, anche se non se ne consegua, secondo

---

[30] De origine *cassationis,* quae etiam functionem antiquae (inde a saec. XIII) querelae assumit, vide A. Costa, *La nullità della sentenza e la querela nullitatis nella storia del processo italiano,* in: *Rivista It. per le Scienze Giuridiche* 57 (1916) 219 ss; P. Calamandrei, *La cassazione civile,* I (Milano-Torino-Milano 1920) 408 ss.; qui heic (p. 770) etiam accurate de conceptu huius instituti civili edisserit. De his omnibus tandem G. Chiovenda, *Principii di diritto processuale civile* (Napoli 1923) 1019 ss.

l'altra formula del n. 4 nullità della sentenza o del procedimento. Il dubbio facilmente si risponde in senso negativo supposta l'interpretazione sistematica dell'art. 360; cioè, il confronto tra le sue diverse proposizioni induce a intendere ristrettivamente la formula del n. 3 riferendola soltanto all'error in iudicando, se norme di diritto di cui parla il n. 3 sono quelle che, come si suol dire, riguardano il merito, cioè che il giudice interpreta ed applica per deciderlo. Già il confronto tra il n. 3 e il n. 2 (per violazione delle norme sulla competenza) induce a tale restrizione, poichè anche le norme sulle competenze sono norme di diritto, e se il n. 3 dovessi intendersi sulla maggiore ampiezza della formula, il n. 2 non dovrebbe essere stato scritto » [31].

Quasi diceret cl.mus auctor, esse violationes quasdam legum processualium quae producunt nullitatem sententiae, ob quas proinde *cassatio* datur; esse et violationes legum substantivarum, ob quas etiam conceditur; esse iterum aliquas bene determinatas, attinentes, scilicet, iurisdictionem, leges processuales ob quas etiam ea datur; esse *vero*, e contra, alias violationes processuales, ob quas non conceditur, supposito quod simul non habeatur vel sequatur et violatio alicuius normae substantivae.

---

[31] F. CARNELUTTI, *Istituzioni del processo civile italiano*, I (Roma 1956) 178. Doctrina processualistica italica relata ad veterem Codicem (Codex nunc vigens est a. 1940), interpretans (Salva quadam contraria voce) art. 517 n. 3: « se [la sentenza] contenga violazione o falsa applicazione della legge », eodem modo se habebat; sic enim scribebat CALAMANDREI: « La legge di cui parla questo n. 3 non è la legge processuale, che indica come i soggetti del rapporto processuale, e tra esse il giudice, debbono comportarsi nel processo, ma è la legge sostanziale su cui il giudice deve giudicare 'applicandola' cioè, commisurandola ai casi controversi ». v. *Cassazione civile*, (n. 25), in *Nuovo Digesto italiano*. Ample ibi rem declarat et comprobat (n. 27 ss.). Quaedam vox contraria ibidem etiam citatur. Dices quod attento veteri Codice res bene explicatur, cum habeatur in eodem art. 517 alius numerus, scilicet, n. 1, ubi ut motivum cassationis violatio normarum processualium proponitur. At, etiam hoc considerato: quod talis numerus lus fuerit in novo codice suppressus, doctrina manet eadem, ut supra vidimus; quod vere significativum est in favorem nostrae theseos.

Credimus talem considerationem theoriae parallelae civilis etiam aliquid iuvare pro nostra interpretatione normarum Codicis.

Consulto diximus supra semper *Leges processuales* « *qua tales* », quae formas tantum et condicio-nes extrinsecas merito causae praescribunt; nam si de illis agatur quae *ius litigatoris* attingunt, utpote quae in relatione directa cum decisione in uno vel alio sensu, quales sunt quae directe referuntur ad facultatem se defendendi, puta cc. 1587; 1655, §§ 1-3; 1731, n. 2; 1861, n. 2; 1862; 1767, tenemus quidem etiam de harum legum violationibus agi. Hinc, si in talibus casibus iudex, interlocutorie decidens, respuit advocatum, a parte postulatum, tempus congruum ad probationes proponendas vel ad defensiones faciendas, etc., iniustitia revera sequitur, seu *censetur* sequi, quoad meritum sententiae definitivae [32], igitur, et *restitutio* dari potest.

* * *

d) Ex iurisprudentia rotali.

Etiam doctrina iurisprudentialis S. R. R. stare videtur pro thesi quod *rest. in integrum* adhiberi nequeat in casibus nullitatis, aut in genere, in casibus violationis legis processualis *qua talis*, i. e., cum non sequatur laesio iuris subiectivi litigatoris; aut quod idem est, cum non habeatur tandem aliquando violatio legis substantivae, sed ordinis tantum processualis.

Etsi Sacra Romana Rota principium adducat: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, addit tamen: « Attamen non omnis violatio legis proceduralis dat laeso ius ad petendam et obtinendam *rest. in integrum*, sed ea tantum quae manifesto causavit gravem laesionem

[32] Em.mus Card. Roberti nec casum absentiae advocati iudicat ducere in iniustitiam sententiae; ac proinde nec admitti posse tunc *rest. in integrum* (*De processibus*, II, 263). Revera casus iste non est omnino clarus; ita ut parti non contentae sententia data (valida et inappellabili), haud facile concederetur *rest. in integrum*, si pro iniustitiae talis sententiae nihil aliud (substantiale) allegatur quam quod defuerit advocatus.

et iniustitiam rei iudicatae, aliis verbis: quae lex si observata fuisset aliam eamque contrariam sententiam provocasset »[33].

Clare dicitur, proinde quod non ob merum, etsi evidentem neglectum *cuiuscumque* legis processualis obtineri possit *rest. in integrum;* igitur non ob neglectum legis processualis *qua talis.* In numero illo 4°, vero, c. 1905, § 2, sermo est de violatione certae legis *qua talis,* cum *censeatur* seu teneatur sequi iniustitiam sine alio, semper ac praescriptum legis violetur. Id patebit magis, si comparatio huius numeri 4i stabiliatur cum praecedentibus, in quibus absolute dicitur obtinere restitutionem in integrum semper ac dentur praesupposita ibi notata. Non videtur ergo posse ita intelligi noster numerus 4us, quod dato neglectu evidenti praescripti legis, investigari ulterius debet, an iniustitia secuta sit; qua iniustitia *censetur*

[33] *S. Rom. Rotae Decisiones* [*S. R. D.*] 27 (1935, XXV, n. 8) 221. Et datur ratio: « Haec interpretatio sequitur ex consideratione aliorum trium punctorum quae in citato canone enumerantur. Scilicet de iniustitia rei iudicatae manifesto constare censetur, primum, si sententia documentis innitatur quae postea fuerint falsa deprehensa. Ergo ad obtinendam rest. in integrum non sufficit probare quod in causa exhibita fuerint documenta falsa; sed requiritur ut hisce documentis falsis innitatur sententia, seu supra his constructa sit ... Alter casus est si postea detecta fuerint documenta quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptoria probent ... Quare non ob quodvis documentum novum, utcumque grave, iudex adiri potest ad obtinendam rest. in integrum, sed solum ob documenta quae peremptorie ostendunt sententiam datam de facto errasse atque falsam esse. Tertius casus est, si sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius. Si enim constat iudicem ex dolo unius partis et in damnum alterius partis in errorem inductum esse ..., semper locus est rest. in integrum, quae est unicum remedium contra manifestam iniustitiam. Idem valet de quarto casu, si nempe « legis praescriptum evidenter neglectum fuerit », sive agatur de lege substantiali sive de procedurali)...; violatio harum legum (proceduralium) tum tantum est causa iusta ad obtinendam rest. in integrum, si manifestum est quod earum observatio causa fuisset ad obtinendam aliam eamque magis iustam sententiam, aliis verbis: si res iudicata qua pars victa graviter se laesam putat, attribuenda est evidenter violationi illarum legum » (*ib.* p. 222). Quoad hoc ultimum remittimus ad textum supra.

sine alio secuta ex tali neglectu. Id quidem non datur nisi in violatione legum substantialium, quae scilicet iura subiectiva conferunt; in quibus, ut patet, ipsa violatio iniustitiam secumfert.

C) *Querela nullitatis non datur, pro casibus non contentis in cc. 1892 et 1894.*

a) *Supposito quod sint casus nullitatis positivae.* Videtur id repugnare ipsi titulo « De querela nullitatis contra sententiam », simul cum sensu obvio praefatorum canonum, qui nullum omnino indicium exemplificationis praebent. Porro, si exclusivitas admittenda videtur in cc. 1603, § 1; 1855, § 2; 1757, §§ 2-3; 1880; 1902 [34] etc., potiori ratione asserenda est in casu nostro, cum agatur de materia quae strictam patitur interpretationem, ut patet ex historia instituti; semper enim magis restringenda visa est impugnabilitas actus iuridici, et speciatim sententiae iudicialis ob nullitatem [35].

Ceteroquin, ex aliis suppositis nullitatibus, quales essent sanabiles quales vero insanabiles? Porro, quod spectat insanabiles, dicit c. 1893 nullitatem *de qua in c. 1892* proponi posse intra 30 annos; quoad vero sanabiles, dicit similiter expresse c. 1895, querelam *de quo in c. 1894* proponi posse una cum appellatione intra decendium, seorsim, vero, intra 3 menses a die publicationis sententiae. Quo iure possemus adiungere alios casus nullitatis his septem, cum expresse de ipsis sermo sit?

b) *Supposito quod agatur de nullitate naturali.* Quia nullitates naturales insanabiles non solum post 30 annos, sed in perpetuum omnino esse debent. Quis enim dixerit, ob defectum iudicis, — non solum iudicis *com-*

---

[34] Nec iste postremus praecise canon allegari valet contra nos; in primis, quia c. 1736 expresse dicit dari etiam tunc rem iudicatam, quod non accidit respectu querelae, praeterquam in citatis 1892; 1894. Praeterea, nonne posset et c. 1736 in c. 1902 n. 2°, postremis verbis inclusus esse?

[35] Bonum publicum id quidem postulat ut processus non multiplicentur, nec proinde repetantur, ne pax aliaque materialia et spiritualia lucra socialia minuantur.

petentis —, personae, scilicet, publico hoc officio munitae, ob defectum definitionis controversiae vel determinationis quid pars damnata dare, facere, praestare, pati deberet (ob defectum, scilicet causae efficientis, formalis, materialis), sententiam *praescribere* aliquando?

Opinamur proinde:

1) Nullitatem proprie talem, seu positivam sententiae non dari nisi in illis septem casibus taxative enumeratis in duobus saepe citatis cc. 1892. 1894; hinc nec querela nullitatis. In aliis proinde suppositis casibus nullitatis cc. 1585, § 1; 1587, § 1; 1861, § 2, etc.[36], non credimus dari revera nullitatem sententiae, quantumlibet acta vel iudicium sint nulla. Nam:

a) Cum nullibi dicatur directe sententiam esse nullam, nullitas obtinere poterit derivative tantum vi c. 1680, § 2. Sed nec istud dari videtur; quia, si agitur de dependentia positiva, debet etiam ea expresse vel aequivalenter statui, cum ista paragraphus 2 non sit exceptio praecedentis et canonis 11. Exemplum habetur in c. 1723 comp. cum c. 1894 n. 1. Sane, primus canon dicit citationem esse nullam, immo, acta processus esse nulla, si scheda citatoria non referat quae in c. 1715 praescribuntur. Iam, si hoc sufficeret ad nullitatem sententiae, superfluum foret ille primus numerus c. secundi, seu 1894, ubi dicitur esse nullam sententiam deficiente citatione *legitima,* ad normam, clarum est, c. 1723.

Certe obiici nequit, quod scopus directus istius numeri 1 c. 1894 ille nimirum sit: significare seu praescribere sanabilitatem talis sententiae nullae derivative vi c. 1723, post 10 dies vel post 3 menses ad normam c. 1895; nam statim quaerimus: post quale tunc tempus sanaretur sententia nulla ob defectum notarii vel subscriptionis actorum ex parte ipsius, cum c. 1895 non referatur ad talem suppositum casum? Ecquid erit sanabile primum post 30 annos? Nec etiam, cum c. 1893 se referat solum ad

---

[36] Vide enumerationem completam in: Em.us Roberti, *op. cit.*, II, 229 s.

casus c. 1892. Non est ergo alia responsio iuridica, saltem ex iure condito, possibilis quam quod nullitas sententiae ob defectum legitimae citationis habeatur tantum ex c. 1894 n. 1. Duo ergo determinat canon: esse nullitatem in casu, et praeterea eam esse sanabilem.

Credimus igitur, in omnibus his casibus, extra cc. 1892. 1894 vagantibus, acta vel actus processus gaudere certis requisitis sub poena nullitatis; sed talem nullitatem non influere in valorem sententiae, quia id nec expresse nec aequivalenter dicitur; posse, proinde declarationem nullitatis illorum actorum vel actuum a partibus postulari ante sententiam, non autem post, quia sententia subsequens non est nulla.

Profecto, cum in omnibus istis nullitatis positivae casibus elementa naturalia sententiae supponantur exsistentia, nullitas non significabit nisi *inefficaciam* praefatae sententiae; quod ea scilicet non producat effectum, sic statuente ordinamento positivo iuridico; si hoc aliter disponeret, efficacia sequeretur. Equidem, tale ordinamentum quoad requisita positiva sententiae id praescripsit: quod quaedam impedirent efficaciam intra triginta annos, alia, intra decem dies vel tres menses, alia efficaciam non impedirent, sed elementa illa naturalia viam suam exsequerentur. Revera, si potuit per decem tantum dies interdicere efficaciam sententiae, ita ut postea sententia sanetur seu reddatur, valida, quantumvis omnia acta fuissent invalida, ut in casu defectus legitimae citationis, qualis repugnantia esse valet in eo quod ille idem ordo positivus talem *efficaciam* non interdicat inde a primo momento, quantumvis acta fuissent nulla? Hoc praecise fecit in casu absentiae notarii vel defectus subscriptionis actorum ex parte ipsius, et similibus, de quibus quaestio movetur. Potuisset infligere nullitatem sanabilem post decem dies vel tres menses; non inflixit tamen, sed reliquit elementa naturalia, ex hac parte, operari ex primo momento.

b) Videntur ea quae diximus confirmari eo quod Codex omisit in cc. 1892. 1894 numerum 3 schematis praeparatorii G, qui sic sonabat: « sententia vitio nullitatis

laborat quando lata ... ex processu vitio nullitatis infecto »; et ex numero 1 c. 394 schematis A verba illa: non valet sententia si processus est nullus ob defectum promotoris fiscalis » [37].

Certe, non credimus omissionem deberi evidentiae nullitatis in casu. Omissio debetur potius proposito resecandi certas nullitates sententiae, ut optime significatur a S. R. R.: « Hanc implexam materiam (nullitatum) voluit Codex in novum perfectioremque ordinem redigere, atque resecatis pluribus nullitatis casibus, qui in veteri disciplina numerabantur, eos ad tres tantum substantiales et insanabiles constrinxit (c. 1892) praeter alios minoris momenti vitio sanabilis nullitatis mulctatos (1894) [38], et magis concrete adhuc sequenti textu: « Nullitas actorum est quid diversum a nullitate sententiae; nec ex illa haec altera semper et necessario sequitur. Siquidem nullitatis sententiae capita sunt a iure specifice designata, nec iudici est facultas in re tam odiosa per analogiam eam ad alia capita extendere. Quando ius nulla declarat acta absque interventu determinatae personae confecta vel absque sollemnitatibus sub nullitatis poena requisitis, vult ut super ipsis non feratur sententia, et partes tempore utili provideant pro nullitatis declaratione et pro novis actis valida conficiendis. Quod si nihilominus iudex super actis sic nullis sententiam pronuntiet, haec nullitatis querela impertiri nequit nisi uno ex capitibus ab ipso iure taxative designatis per vitium insanabile vel sanabile, quo deficiente sententia declarari nequit nulla » [39].

---

37 Em.mus ROBERTI, *Codicis iuris canonici schemata*, lib. IV, *De Processibus* (in Civitate Vaticana 1940) p. 434 s.

38 *S. R. D.* 19 (1927, XXXIV n. 10) 282.

39 *S. R. D.* 25 (1933, XLVIII n. 2) 421: Non minus clare iterum: « At formalis querela nullitatis sententiae admitti nequit, si ... assertae nullitatis caput neque in can. 1892 neque in can. 1894 continetur. Videlicet, ut pluries a S. R. R. expositum est, non omnis nullitas actus, sive causae sive processus, ius dat ad introducendam querelam nullitatis sententiae, sed tantum illae laesiones iuris,

Speciatim quod spectat absentiam promotoris iustitiae, cum hic postulatur, etsi aliquando concludat ipsa S. R. R. pro nullitate sententiae haud certe vi c. 1587, sed vi c. 1894, n. 1, cum causa versetur in re criminali, in qua privati persona activa standi in iudicio carent: « agitur in casu de re criminali tanquam principali litis obiecto in quo unus et solus accusator est promotor iustitiae » [40].

2) Quod spectat nullitatem naturalem, haec certe datur quoties causa efficiens, formalis vel materialis, ut supra diximus, desunt; quae quidem non continetur in cc. 1892. 1894; nec ipsa nullitas ratione incompetentiae absolutae iudicis est *naturalis*, cum aliud sit competentia (elementum positivum), aliud vero ratio personae publicae (elementum naturale - causa efficiens sententiae), iudex incompetens, est, nihilominus, iudex.

At valde diversa est haec figura nullitatis a praecedenti, seu positiva. Nullitas naturalis est vera *inexsistentia* sententiae, et quidem inexsistentia diversa ab antiqua romana, saltem prout intelligebatur ante tempus postclassicum [41], cum pro *inexsistente* habebant indistincte

---

quae in canonibus citatis enumeratae sunt »; *S. R. D.* 37 (1945, XX n. 5) 199.

[40] *S. R. D.*, ibid. (n. 3) 421. Etiam: « Interventus promotoris iustitiae in causa pro actorum et sententiae validitate, sub duplici aspectu considerari debet. Vel enim eius interventus est necessarius, quia res est de bono publico tuendo vel de criminibus sustinendis, et tunc eius neglectus secumfert nullitatem ad normam c. 1894 n. 1° ob defectum nempe citationis illius qui in iudicio partem essentialem habebat » (ibid.).

[41] Haud certe nobis placet inde opinio satis diffusa iuxta quam querela nullitatis institutum est omnino ignotum ante medium aevum, debitum totum quantum iuri germanico, vel saltem influxui huius in ius commune. Sic M. A. Bethmann-Hollweg, *Der Civilprozess des gemeinen Rechts*, II (Bonn 1865) 721 ss; Calamandrei. *Cassazione civile*, I, 17. 15; Orestano, *L'appello*, 98. Quod germina querelae nullitatis, ac proinde distinctio inter defectus processuales sententiae et naturales, quod spectat eius impugnationem, non exstiterint tempore iam postclassico romano, sed debeantur omnino iuri germanico vel influxui eius in ius commune, aut statutarium, ut auctores citati asserere videntur ansam praebet discussioni; non est tamen huic nunc locus. Vide A. Costa, *La nullità*

omnem sententiam nullam, quocumque ex defectu nullitas procederet. Id quidem significabant verba continuo adhibita; « non est iudicatum », « sit iudicatum necne », et similiter « *infitiatio* » seu negatio (exsistentiae) sententiae, quae operabatur ad modum potius defensionis, quam actionis declarativae vel annullativae, contra eum qui sententiae nullae exsecutionem postularet. Talis *infitiatio,* seu talis defensio id significabat: respondere: nihil esse eventum, seu sententiam non exstitisse.

Sententia inexsistens in iure nostro, multo magis perpolito quoad hoc quam romanum classicum, ea sola est quae caret elementis naturalibus internis, i. e. proprio sensu *essentialibus;* omnis alia erit, ut supra diximus, radicaliter, quantumvis velis inefficax, sed solum *inefficax,* cum elementa naturalia suam vim semper retineant, eamque de facto exserant semel ac lex id permittat (sanatio).

Tale discrimen figurarum iuxta ordinamentum nostrum canonicum animadvertitur, ex. gr. in c. 1873, nn. 1-3, comp. cum c. 1894: In nn. 1-2 definitur sententia quoad elementum suum formale et materiale; in n. 3 autem, determinatur aliquod requisitum extrinsecum, sollemnitatis (externum).

---

della sentenza e la querela nullitatis nella storia del processo italiano, in: *Riv. It. Sc. Giurid.* 57 (1916) 229 ss; G. Chiovenda, *L'idea romana nel processo civile moderno,* in: *Rivista di diritto proc. civ.* 9 (1932) 318. Hic multo plura concedit iuri romano in hoc opere quam 30 ann. antea in sua prolusione: *Romanesimo e germanesimo nel processo civile* (Torino 1902), ut ipse sincere fatetur, dicens quidem: se nunc *videre melius* quam ante illa tria decennia. Vide et Biondi, *Appunti,* 68 [nt. 22].

De distinctione *inexsistentiam* inter et simplicem *nullitatem* (inefficaciam) actus iuridici in theoria generali iuris cf. recenter W. Bertrams, *De effectu consensus matrimonialis naturaliter validi* in *Miscellanea in honorem Petri Card. Gasparri* (Roma 1960) p. 129 ss.; *De influxu Ecclesiae in iura baptizatorum,* in *Periodica de re mor., can. et liturgica,* 49 (1960) 422 ss. Vide et nostra studia: *La nulidad del acto jurídico,* pp. 90 ss., 124 ss.; *Nullitas actus iuridici in Codice iuris canonici,* in *Periodica de re mor., can. et liturgica* 35 (1946) 29 ss.

Inde est quod si deest requisitum istud positivum sollemnitatis, sententia nullo pacto est nulla, nisi hoc ulterius praescribatur; sententia exsistit in ambabus hypothesibus, i. e.: tam praesente quam absente tali requisito; nisi quod in secunda, caret efficacia per tempus ab ipso ordinamento iuridico determinatum: per decem dies vel 3 menses ad tenorem c. 1895; dein sanatur, seu elementa naturalia relinquuntur liberá, diceremus, quoad exsequendam suam virtualitatem. Per illum lapsum temporis (intra decem dies vel tres menses), querela est nullitatis contra sententiam exsistentem certe, sed expertem alicuius qualitatis extrinsecae qua eam ius positivum vestitam vult.

Si vero desunt elementum formale vel materiale, sententia est nulla seu nihil producit, etsi hoc ulterius non praescribatur; immo, supervacaneum foret id ulterius declarare.

Ad impugnandam talem sententiam non admittetur querela nullitatis, quae supponit exsistentiam actus, seu actum *naturaliter* validum, nec a fortiori *restitutio in integrum,* quae eum supponit et positive validum seu revera immutativum iurium (efficacem), sed pura *negatio* exsistentiae sententiae, quam (*negotiationem*) facere potest iudex per modum resolutionis incidentalis, contra illum qui ex tali sententia aliquid postularet; vel si ageretur de defectu elementi essentialis communis omni actui iuridico, v. g. consensus iudicis in pronuntianda sua decisione, *actio* illa communis nullitatis praevisa in c. 1679.

Conclusio

Ex dictis videretur nobis Codex substantialiter logicus, sufficiens et sibi constans quoad praescriptiones attinentes nullitatem sententiae, attentis potissimum cc. 11. 1680. 1892. 1894.

Pro sententia valida, sed visa iniusta, est remedium appellationis, vel restitutionis in integrum, si primum defuerit. In hac iniustitia latet, sine dubio, etiam nul-

litas de qua olim: eo quod sententia foret contra *ius constitutionis* in iure romano, et tam contra *ius constitutionis* quam contra *ius litigatoris* in vetere canonico [42], sed quae nunc impugnatur appellatione; cum appellatio id nimirum quaerat: in nihilum reducere sententiam iniustam, eam alia, *iusta* quidem, substituendo. Nullitas proinde specifice talis consideratur in relatione cum elementis non iustitiae, sed technicae constructionis sententiae. Iam tunc si agitur de puris formalitatibus seu de elementis positivis sollemnitatis, pro defectu eorum remedium est « querela nullitatis », et quidem solum pro septem casibus seu pro septem defectibus; quia non sunt alii, qui nullitatem secumferant; si vero agitur de elementis naturalibus, pro defectu eorum remedium erit aut mera negatio seu recusatio exsistentiae actus per decretum incidentale facta, aut actio generalis ad talem eventum patefaciendum ad normam cc. 1689 et 1680, § 1 prima parte [43].

Revisio ac perfectibilitas normarum.

His tamen non obstantibus, diceremusne Codicem esse perfectum in hac re? Multiplicitas opinionum supra memoratarum contrarium demonstrat [44].

Revera, in revisione quam prospicimus Codicis iuris canonici oporteret etiam ea addere vel mutare quae clarius hoc institutum reddant. Liceat nobis haec ad modum

---

42 Cf. ORESTANO, *L'appello,* 276 ss.; REIFFENSTUEL, *Ius canonicum universum,* II, 27, § IV, n. 129 ss.

43 De hac quaestione, et quidem eodem sensu ac nunc, etsi brevius, scripseramus iam in studio supra citato: *La nulidad del acto jurídico,* p. 160 ss. supra nt. 41.

44 Severius certe scribebat CALAMANDREI de veteri codice processu civilis italici in hac eadem re: « Certo è, ait, che in questa materia non facile dei vizi della sentenza e dei corrispondenti mezzi d'impugnativa, gran parte delle difficoltà derivano dal linguaggio oscuro od improprio usato dal legislatore che complica le questioni invece di scioglierle e moltiplica i dubbi invece di farle svanire »: *Studi sul processo civile,* IV (Padova 1930) 227.

exempli insinuare: *a*) c. 1680, § 2 generat reapse, prout iacet, confusionem; igitur vel supprimatur vel compleatur. *b*) In cc. 1892 et 1894 addi posset verbum « solum » vel aliquid aequivalens. *c*) Indicetur expresse, quomodo succurrendum in defectu alicuius elementi essentialis sententiae, remittendo ad c. 1679 vel aliter.

Olisius Robleda, S. I.

NOTA DE ALIQUO CASU RECENTIORE "STERILIZATIONIS THERAPEUTICAE"

Notum est non paucos scientiae medicae cultores inquirere in media simplicia, ore sumenda (« pillulae »), quibus facile et certo efficiatur sterilitas temporaria. Unum ex his mediis, quod invenerunt et adhuc perficere conantur, sunt notae pillulae progestogenae (et oestrogenae), quae ovulationem cessare faciunt. Agitur de variis « hormonibus » syntheticis, quae modo simili — etsi *concentrato* — agunt atque hormones « progesteron ». Notum est hormones « progesteron » tempore gestationis et (saltem temporarie) lactationis naturaliter produci a corpore luteo et efficere — inter alia — cessationem temporariam maturationis ovulorum femineorum, ideoque ovulationis. Hoc medium sterilizationis, pillulae nempe progestogenae, a variis aliis mediis huius generis — v. g. a pillula « hesperidin » — eo differt, quod *non unice* in sterilitatem tendit, aliis verbis: quod non est intrinsece sterilizatio directa. Sterilizatio enim consistit in suppressione fecunditatis, seu in ablatione capacitatis *fecundandi* in viro, vel *concipiendi* in muliere [1]. Procurata vero cessatio ovulationis non tendit unice in talem sterilitatem, sed habet etiam alios effectus aeque immediatos, in quos dirigi potest, — etsi numquam sine effectu sterilitatis mulieris. Variae inde suscitantur quaestiones morales; determinandum enim est, quibusnam in casibus subministratio pillularum progestogenarum consideranda

---

1 Possit quidem terminus « sterilizatio directa », et « sterizatio indirecta », referri ad impeditionem directam vel indirectam ipsius ovulationis; sed usus in theologia morali nunc receptus eum refert in impeditionem directam vel indirectam capacitatis foecundandi aut concipiendi, in qua praecise est problema morale sterilizationis.

sit ut sterilizatio — in sensu ablationis capacitatis *concipiendi* prolem — directa, in quibusnam ut indirecta [2].

Notetur tamen non deesse peritos [3] qui putent pillulas progestogenas efficere sterilitatem non solum per cessationem ovulationis, sed *etiam* per actionem in uterum, qua innidatio ovuli fecundati impeditur (ergo per abortum), *et* per actionem in cervicem uteri, qua ingressus spermatum impeditur. Imo de medio « norethynodrel » (quod venit nomine ENOVID) iam affirmatur illud omnino non inhibere ovulationem. *In sequentibus loquimur de illis solis mediis, quae ovulationem impediunt.* Quoad cetera, pro consideratione morali nihil mutatur, si simul cum inhibitione ovulationis impediunt ingressum spermatum in uterum. Idem dicendum de impeditione nidationis ovuli fecundati, dummodo usus matrimonii non fiat, quando iudicio medicorum adsit periculum abortus ob sumpta haec media.

Unam ex quaestionibus exortis ob inventas pillulas progestogenas, recentius ab uno aliove medico et theologo propositam et dubitative (etsi nostro iudicio minus recte) solutam [4], hic brevi examini subiicere intendimus.

---

[2] W. J. Gibbons - T. K. Burch, in: *Americ. Eccles. Review* 138 (1958) 246-277; W. J. Gibbons, in: *America* 98 (1957) 346-348; F. J. Connel, in: *Americ. Eccl. Review* 137 (1957) 50 s; L. Janssens, in: *Ephem. Theol. Lov.* 34 (1958) 357-360; J. J. Lynch, in: *The Linacre Quarterly* 25 (1958) 93-99; J. R. Connery, in: *Theological Studies* 19 (1958) 550 s; F. Furlong, in: *Periodica* 47 (1958) 285-299; A. van Kol, in: *Artsenblad* 37 (1958) 323-331; et in: *Nederl. Kath. Stemmen* 55 (1959) 1-8; P. Palazzini, in: *Studi Cattolici* n. 9 (1958) 58-64; M. Zalba, *Theologiae Moralis Compendium* I, Matriti 1948, n. 1546, 4; B. Häring, in: *Theologischer Digest* 2 (1959) 153-159; J. Fuchs, *De castitate et ordine sexuali*, Romae 1959, 72-74; R. de Guchteneere, in: *S.-Luc Médical* 31 (1959) 10-22; J. A. Schockaert, *ibid.* 231-249; P. Anciaux, *ibid.* 32 (1960) 67-80, et in: *Collect. Mechlin.* 45 (1960) 5-18; D. O'Callaghan, in: *The Irish Theol. Quarterly* 27 (1960) 1-15; 332-339; F. Neirynck, in: *Collat. Brugens. et Gandav.* 6 (1960) 130-134.

[3] Cf. P. M. F. Bishop, in: *The Practitioner*, n. 1106, t. 185 (1960) 158-162, maxime p. 161.

[4] *S.-Luc Médical* 31 (1959) 248 et 249; *ibid.* 32 (1960) 79 s.;

Putamus *discussionem* quaestionum, ob media nunc inventa ortarum, maximi momenti esse.

1. Casus plus minusve est hic: Mulier quaedam putat se ob rationes graves admittere non posse novam prolis conceptionem. Conatibus onanisticis mariti propter conscientiam omnino resistit. Abstinentia prolongata a perfecto amplexu matrimoniali conducit ad valde gravem et intolerabilem morbum psychicum mulieris. Medicus unicam viam sanandi mulierem indicat eius sterilizationem saltem temporariam, v.g. per administrationem pillularum progestogenarum. Obtenta enim sterilitate, amplexus matrimonialis iterum assumi potest sine timore novae conceptionis, atque hoc modo sublata est causa perturbationis psychicae. Estne medium a medico propositum, sub aspectu morali, acceptandum? Dubitative, ac « salvo meliore iudicio », iudicant: hoc medium considerari posse ut medium « psychotherapeuticum », ideoque non contraceptivum. Vident tamen difficultatem, in tali solutione casus, distinguendi satis clare inter sterilizationem therapeuticam et contraceptivam, seu indirectam et directam. — Pro quadam iustificatione ulteriore recurrunt ad comparationem talis sterilizationis temporariae cum interventu omnino profundiore, castratione nempe (seu sterilizatione) definitiva, quam, ex rationibus « psychotherapeuticis » factam, licitam esse dicunt, etiam in casu, quo ratio morbi psychici est in timore « panico » eventualis novae conceptionis.

2. Patet: Si in solutione proposita sumptio pillularum progestogenarum consideratur ut sterilizatio *therapeutica,* hoc non solummodo dicit eam haberi ut therapeuticam *sub aspectu medicali,* scil. sanativam mulieris; sed significatur eam esse *sub aspectu morali* licitam sterilizationem *indirectam.*

Subministratio harum pillularum est sterilizatio mere *indirecta, si* quidem secumfert sterilitatem mulieris, haec sterilitas autem nec est unicus effectus immediatus

---

cf. *Collect. Mechlin.* 17 (cf. etiam relationem in: *Coll. Brugens. et Gandav.* 6 (1960) 134).

impeditae ovulationis, nec ut talis intenditur, et quidem nec propter se, seu ut finis, nec propter aliud, seu ut medium. Est autem sterilizatio *directa, si* sterilitas vel est unicus effectus immediatus, vel ab agentibus intenditur, sive propter se, ut finis, sive propter aliud, ut medium, — v. g. ad restituendam salutem mediante sterilitate inducta [5].

Sterilizatio *directa* autem est *illicita* [6]. Huius ratio [7] non est in sola mutilatione, i. e. suppressione organi vel functionis organicae. Mutilatio enim *ex principio totalitatis* non raro iustificari potest, subordinando partem bono totius hominis. Ratio illiceitatis absolutae sterilizationis directae ergo potius in alia ratione consistit. Sterilizatio enim (et castratio) directa differt a ceteris actionibus mutilantibus, quatenus tendit — sive ex natura actionis, sive ex intentione agentis — ad auferendam fecunditatem, seu ad evitandam possibilitatem graviditatis. Fecunditas vero principaliter est in bonum speciei, non individui: unde non licet eam *directe* auferre in bonum individui. *Ideo actio, cuius intentio (vel operis vel operantis) est reddere hominem sterilem, est intrinsece illicita;* quod verum manet etiam tunc, si finis talis actionis est restituere salutem per sterilitatem obtentam.

Licita esse potest actio sterilizans: *negative,* si sterilitas nec est unicus effectus immediatus actionis, nec ab agentibus intenditur, et quidem nec ut finis nec ut medium, *positive,* si ponitur mere ut actio mutilans, ordinata *immediate* ad finem diversum a sterilitate — v. g. ad salutem psychicam procurandam —, ideoque non mediante sterilitate obtinendam. In tali casu effectus sterilitatis est mere (active) permissus; atque permissio potest esse iustificata per rationem proportionate gravem.

---

[5] Cf. Pius XII, allocut. die 29. X. 1951 habita: *Periodica* 40 (1951) 365.

[6] *Ibid.* - S. Officium 24. 2. 1940: *A.A.S.* 32 (1940) 73; Denzinger 2283.

[7] Cf. G. Kelly, *Pius XII and the Principle of Totality,* in: *Theological Studies* 16 (1955) 373-396.

3. In casu proposito subministratio pillulae progestogenae certo est sterilizatio therapeutica in sensu medicali. Num etiam in sensu morali, scil. ut sterilizatio mere indirecta, ex rationibus satis gravibus peracta? Subministratio harum pillularum certo ut sterilizatio indirecta-therapeutica *possibilis* est, cum non solum ad sterilitatem procurandam, sed etiam ad alios fines aeque immediate obtinendos inserviat. Sed in casu proposito sanatio psychica *non* habetur *immediate* ex dilatione ovulationis procurata, *sed tantum mediante consequenti effectu sterilitatis.* Haec sterilitas revera intenditur et procuratur, *ut,* sublato per eam timore novae conceptionis, vita plene matrimonialis iterum assumatur, quo causa turbationis psychicae mulieris auferatur. Invehitur ergo *directe* in finem principalem functionis generativae, ordinando eam ad bonum individui procurandum: quod est perversio ordinis. Si hoc licitum esset, nonne etiam licita dicenda esset perversio ordinis, quae est in pollutione voluntaria, a medico considerata ut medium conveniens ad salutem alicuius hominis restituendam? Concludimus: in casu proposito sumptionem pillularum progestogenarum nostro iudicio ut sterilizationem directam habendam esse, peractam quidem cum fine therapeutico. Proinde hic simpliciter valere videntur verbo Pii XII in sermone, quem praecise de usu harum pillularum habuit: « Mais on provoque une stérilisation directe, et donc illicite, lorsqu'on arrête l'ovulation, afin de préserver l'utérus et l'organisme des conséquences d'une grossesse ... » [8].

4. Praeter sterilizationem directam in casu proposito aliud attendendum est. Sterilizatio enim fit eo fine immediato, ut mulier matrimonio uti possit sine timore novae conceptionis: nonne sic *intenditur usus matrimonii onanisticus?* Sterilizatio et usus matrimonii, in externa specie naturaliter peractus, sunt quidem duo actus physice distincti, sed moraliter sunt unum quid; uniuntur enim intentione. Usus matrimonialis, in casu, afficitur illa

---

[8] *A.A.S.* 50 (1958) 735; *Periodica* 47 (1958) 295. — Similiter in allocut. diei 8. 10. 1953: *A.A.S.* 45 (1953) 675.

intentione impediendi conceptionem, qua sterilizatio peracta est. Vel, ut verbis Pii XI in encyclica « *Casti connubii* »[9] utamur: usus matrimonii in hoc casu est talis, ut actus de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, quo Dei et naturae lex infringitur. Breviter: agitur in casu de sterilitate per subministrationem hormonum progestogenarum, inducta ad usum matrimonii a timore eventualis conceptionis liberandum: quod est praecise, ex parte coniugium, « abusus matrimonii », etsi intentus ad finem therapeuticum, ex parte vero medici est inductio et cooperatio ad eum.

5. Quaerunt tamen, uti iam diximus: Si ad auferendum morbum psychicum (seu psychosomaticum) licitum esse potest peragere mediante operatione chirurgica definitivam castrationem, vel sterilizationem, nonne a fortiori licita dicenda est sterilizatio mere temporaria mediantibus pillulis progestogenis? In quaestione posita liceitas talis castrationis, vel sterilizationis, *supponitur*. Utrum iure meritoque? Iterum enim distinguendum est inter castrationem, vel sterilizationem, directam et indirectam. Sola indirecta, quae sterilitatem neque ut medium neque ut finem appetit, licita esse potest. — Quaestionem explicabimus exponendo duos casus differentes.

Notum est aliquando status psychicos graviter morbosos virorum auferri mediante vera castratione. Quod, si alia media sufficientia desint, illicitum dici non potest; *principium enim totalitatis* iustificat mutilationem in bonum individui, dum sterilitas, secundum *principium duplicis effectus*, ob rationes valde graves mere permittitur. Agitur ergo de sterilizatione indirecta, seu directe therapeutica.

Res aliter se habet, si operatio castrativa, vel sterilizans, fit eo fine, ut mediante sterilitate inducta, seu suppressione capacitatis concipiendi vel fecundandi, salus restituatur. In tali casu enim sterilitas procreatur ut medium ad finem salutis. Casus talis sterilizationis directae est v. g. hysterectomia peracta in muliere, quae

[9] Denzinger 2240.

ob timorem novae conceptionis graves perturbationes psychicas patitur: ut nempe, sublata possibilitate concipiendi prolem, timor et consequens perturbatio psychica cessent. Talis castratio, seu sterilizatio, esset directa ideoque non immediate therapeutica: unde eam peragere non licet.

Iam patet: *paritas* casus propositi de sterilizatione temporaria mediantibus pillulis progestogenis, ad perturbationes psychicas mulieris auferendas, *non* est cum castratione immediate therapeutica viri, *sed* cum sterilizatione directa mulieris per hysterectomiam. Unde illicita dicenda est.

6. Solutio casus negativa convenienter illustrari possit per comparationem cum aliis rationibus subministrandi pillulas progestogenas, de quibus moralistae recogitare et scribere coeperunt [10].

Unanimiter conceditur sumptionem harum pillularum ad finem evidenter contraceptivum esse sterilizationem directam, ideoque illicitam.

Item unanimiter auctores admittunt licitam esse sumptionem harum pillularum ad varios morbos uteri vel organismi sanandos, vel ad alios effectus — excepta sterilitate — rationabiliter obtinendos; Pius XII, in allocutione iam citata, hanc sumptionem ad finem therapeuticum explicite licitam dicebat. Ratio est, quod in tali sumptione intenditur aliud ac ipsa sterilitas, nec illud aliud efficitur per sterilitatem, sterilitas autem ob rationem sufficienter gravem permittitur: agitur ergo de sterilizatione indirecta, sufficienter iustificata. (*Notatur* rationes, quae iustificant permissionem sterilitatis temporariae, non debere esse aeque graves ac eae, quae iustificant permissionem sterilitatis definitivae).

De aliis quoque rationibus licite forsitan adhibendi pillulas progestogenas auctores agunt et scribunt. Sed praeterquam quod, secundum ea quae interim legere potuimus, nondum clare patet, quaenam sub aspectu medicali *certe* possibilia sint, quaenam non, de multis theologi adhuc discutiunt, utrum licita sint necne. Cum haec dis-

---

[10] Cf. notam 2.

cussio tamen sit praeter intentionem praesentis notae, ad scripta supra citata attentionem lectoris dirigimus. Unum vero casum, de quo audivimus, breviter explicamus, cum de eo interim nihil legere potuerimus:

Dicitur enim: Normaliter ovulatio accidit non post diem 18^{um} cycli menstruationis; si accidit post hunc diem, interim deficit naturalis productio hormonum « progesteron » *cum consequenti quodam disaequilibrio hormonali generali, quod totum organismum afficit.* Suadent ut, si ovulatio tempore normali non accidit, subministratione mediorum progestogenorum a die 18° ad 26^{um} efficiatur aequilibrium hormonale: ex quo tandem habetur *effectus secundarius* sterilitatis: ita ut his diebus modo securo copula sine periculo conceptionis fieri possit. Quid dicendum? Primo, ad effectum desideratum aequilibrii hormonalis sufficit subministrare hormones *naturales* « progesteron », quibus *non* efficitur cessatio ovulationis: effectus secundarius ergo non iustificatur. Dein, non habetur motivum iustificans permissionem sublatae fecunditatis, quia defectus aequilibrii hormonalis videtur esse minoris momenti. Ulterius, nonne potius inductio ovulationis quam eius ulterior impeditio artificialis curanda est, ut illud disaequilibrium tollatur?

Iosephus Fuchs, S. I.

ADDENDA AD COMMENTARIUM IN FORMULAM FACULTATUM DECENNALIUM

I. Mutationes in formula facultatum

Mutationes quaedam in formula facultatum decennalium (Cf. *Periodica* 49 [1960] p. 341) inducendae propter Novum Codicem Rubricarum. Sequentes correctiones faciendae sunt.

In fac. n. 9 verba: « *in Missis a solo celebrante cantatis vel etiam* » deleri debent: idem enim iam conceditur iure communi (N.C.R. n. 270 271 426).

Fac. n. 16 legi debet: « *Permittendi ut in ecclesiis ter infra hebdomadam, extra Quadragesimam, Missa lecta de Requie celebrari possit, etiam diebus liturgicis III classis, diebus tamen, quibus eadem Missa a rubricis permittitur, computatis* ». Est mutatio verborum, non ipsius facultatis.

Fac. n. 17 legi debet: « *Concedendi ut totò anni tempore Missa de Dominica celebrari possit diebus infra Hebdomadam, cum omnibus iuribus ipsius Dominicae, modo ne occurrat Festum I classis* ».

Addita sunt verba: « cum omnibus iuribus ipsius Dominicae ».

Fac. n. 55. abrogata est: anticipatio Laudum aut Matutinae ante horam 14 est contra ius (N.C.R. n. 144 et 145).

Fac. n. 60 legi debet: « *Permittendi ut, servatis rubricis, in dominicam aut immediate praecedentem aut immediate sequentem transferatur sollemnitas festorum, quae secundum can.* 1247 *sunt ferianda, sed legitime abolita* ». Haec terminologia magis conformis est cum N.C.R. n. 358 et 359.

Fac. n. 61. Abrogata est. Ius commune enim iam concedit translationem Rogationum (N.C.R. n. 87).

Fac. n. 65: Loco « *in precibus ferialibus* » legi debet « *in precibus* ». Iam non habetur distinctio (N.C.R. n. 260).

Fac. n. 67 legi debet: « *Vestiendi paramentis pontificalibus, rationabili de causa, sine rocheto* ». Deleantur verba « tunicella et dalmatica ». Quia N.C.R. n. 134 iam dedit licentiam, ex rationabili causa abstinendi a sumenda tunicella et dalmatica subter planetam.

II. Commenta iuxta novum codicem rubricarum

Die 26 iulii anni 1960 S.C. Rituum dedit « Decretum generale » quo novus rubricarum Breviarii ac Missalis Romani Codex promulgatur. (A.A.S. 52 [1960] p. 596). Propter novas rubricas pauca in nostro commentario addenda et mutanda sunt.

Ad fac. n. 5. - *De altari portatili* et fac. n. 6. *De linteo benedicto*: Novus Codex Rubricarum n. 277 dicit: « *In oratoriis privatis,* et cum celebrat super altare portatili extra locum sacrum, quilibet sacerdos sequi potest aut calendarium loci (n. 53 a) aut proprium ».

Ad fac. n. 9. - *De thurificatione in Missa*: N.C.R. n. 426: « Incensationes quae in Missa sollemni fieri debent, fieri possunt etiam in omnibus Missis cantatis ».

Ad fac. n. 12 - *De colore paramentorum liturgicorum*: N.C.R. haec habet:

117. Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei aut alteri Missae celebrandae, secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: albo rubro, viridi, violaceo et nigro.

Indulta tamen et consuetudines legitimae circa usum aliorum colorum in suo robore manent.

Sicuti vero in regionibus Missionum, ex probata et originali traditione gentis indigenae, significatio unius vel alterius coloris liturgici Ecclesiae Romanae cum significatione quae illis populis congenita est non congruit, Conferentiae episcopali eiusdem regionis, vel maio-

ris territorii, si ita magis conveniat, facultas datur, ut in locum coloris inepti alium colorem magis aptum substituant; hoc tamen non fiat inconsulta S. Rituum Congregatione.

His rubricis facultas S.C. de P.F. non tollitur: singuli Ordinarii missionum concedere possunt sacerdotibus ut, iusta de causa, in celebrando Sancto Sacrificio, uti possint paramentis cuiusvis coloris liturgici. Idem valet de aliis functionibus liturgicis, quia qui potest magis potest quoque minus. Si vero inducenda videtur mutatio definitiva ad modum legis, expedit ut hoc non fiat in una sola dioecesi, sed in tota provincia ecclesiastica aut in tota regione, et igitur res tractari debet in conferentia episcopali et consulenda est S.C. Rituum.

N.C.R. maiorem quoque dat libertatem pro missis votivis; dicit n. 323: « Color paramentorum, in Missis votivis, debet esse cuique Missae conveniens; sed in Missis votivis lectis IV classis non conventualibus, adhiberi potest etiam color officii diei, servato tamen colore violaceo et nigro pro Missis quibus per se competit.

Ad fac. n. 16. - *De Missa de Requie.*

Facultas S.C. de P.F. adhuc adhibet antiquam terminologiam; in nova terminologia facultas sic verti potest:

« Permittendi ut in ecclesiis ter infra hebdomadam, extra Quadragesimam, Missa defunctorum « quotidiana » celebrari possit, etiam diebus liturgicis IV classis tempore natalicio, necnon omnibus diebus liturgicis III classis, diebus tamen, quibus eadem Missa a rubricis permittitur, computatis ».

Prae oculis habeatur monitum in N.C.R. sub n. 423:

« Maxime convenit ut hae Missae defunctorum IV classis tunc tantum dicantur cum revera pro defunctis, aut in genere aut certo designatis, applicantur ».

Ad fac. n. 17. - *De Missa de dominica infra hebdomadam.*

N.C.R. n. 16 a) « festum Domini I aut II classis, in dominica occurrens, locum tenet ipsius dominicae cum

omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio »;

Idem dicendum videtur de festo Domini I aut II classis infra hebdomadam occurrente: locum tenet ipsius dominicae et usum facultatis prohibet.

Ad fac. n. 55. - *De tempore horarum canonicarum.* N. B. « Ex audientia SSmi » die 17 ian. 1961.

In audientia, concessa die 17 ianuarii 1961 Excmo Secretario S. C. de Propaganda Fide, SSmus D. N. Ioannes PP. XXIII indulsit ut, non obstante numero 144 et 145 Novi Codicis Rubricarum, facultas n. 55 S. C. de Propaganda Fide « *Concedendi ut privatim recitari possit matutinum cum laudibus diei sequentis statim post meridiem* » in vigore maneat usque ad exspirationem facultatum, i. e. usque ad diem 31 decembris anni 1970.

Ad fac. n. 60. - *De translatione sollemnitatis liturgicae festorum.* De iure communi Ordinarii iam habent ampliorem potestatem quam ex facultate; N.C.R. concedit inter alia translationem sollemnitatis externae ad diem dominicam immediate praecedentem vel ad dominicam immediate sequentem omnium festorum I et II classis, quae iuxta iudicium Ordinarii cum peculiari populi concursu celebrantur (n. 358 i) et 359).

De festo cuius fit sollemnitas externa, celebrari potest una Missa in cantu, et altera lecta, vel duae Missae lectae, tanquam votivae II classis. (n. 360).

Ad fac. n. 61. - *De rogationibus.*

De iure communi (N.C.R. n. 87) « Ordinariis locorum facultas tribuitur eas [Litanias minores] transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitatem ». Facultas S.C. de P.F. concedit quoque translationem Litaniarum maiorum.

Ad fac. n. 67. - *De paramentis pontificalibus.*

N.C.R. n. 134. - « Episcopus, et aliis qui usu Pontificalium gaudent, si sollemniter celebrant, planetam induunt super dalmaticam et tunicellam. Item, planetam super dalmaticam et tunicellam induit Episcopus, etiam in Missa lecta: a) in consecratione Episcopi; b) in colla-

tione sacrorum Ordinum; c) in benedictione Abbatis; b) in benedictione Abbatissae; e) in benedictione et consecratione Virginum; f) in consecratione ecclesiae et altaris.

Attamen Episcopus aliique de quibus supra, ex rationabili causa, a sumenda tunicella et dalmatica subter planetam abstinere possunt ».

Facultas ultra ius commune concedit induere paramenta pontificalia *sine rocheto.*

III. Facultas 30

30. - (Form. maior n. 23) *De sanatione in radice.*

Vi antiquae facultatis Ordinarii missionum poterant sanare in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod impedimentum de quo in facultate praecedente; in nova facultate additur « *vel ob defectum formae* ». V. g. si matrimonium fuit contractum coram sacerdote, qui carebat necessaria delegatione. Si utraque pars est catholica et nullo modo contraxerunt « *coram ecclesia* », non habetur « *matrimonium nullum* » sed potius « *concubinatus* » et Ordinarius hac facultate uti nequit; potest vero, si casus fert, dispensare a forma canonica vi canonis 81 aut 1043 ita ut quaelibet manifestatio consensus sit sufficiens ad contrahendum matrimonium.

Ludovicus Buijs, S. I.

MONUMENTA

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

III

Acta Sanctae Sedis 6 iun. - 31 dec. 1960

VIDE ETIAM: Periodica 49 (1960) 67-141: Acta Sanctae Sedis 25 ian. - 31 dec. 1959.
Periodica 49 (1960) 267-320: Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 5 iun. 1960.

ABBREVIATIONES: A.A.S. = Acta Apostolicae Sedis.
Acta = Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando. Series I (Antepraeparatoria). Volumen I: Acta Summi Pontificis Ioannis XXIII. Typis Polyglottis Vaticanis, 1960.
C. = Concilium.
Cod. = Codex Iuris Canonici.
O.R. = L'Osservatore Romano.
Periodica = Periodica de re morali canonica liturgica.
R.D.R. = Rivista Diocesana di Roma 1 (1960) n. 1-2.
S. = Synodus.
Syn. = Prima Romana Synodus A. D. MDCCCCLX. Typis Polyglottis Vaticanis, 1960.

CONSPECTUS: I. Indicationes introductoriae p. 45. — II. Series Actorum Chronologica p. 49. — III. Classificatio Actorum: A. Auctores et Qualificationes Actorum p. 63; B. Fontes Actorum p. 63; C. Argumenta Actorum p. 64. — IV. Textus Actorum secundum argumenta ordinati: A. Concilium p. 64; B. Synodus p. 110; C. Codex Iuris Canonici p. 135.

I. - INDICATIONES INTRODUCTORIAE

Haec collectio III[a] quoque secundum principia, in *Periodica* 49 (1960) 67-70 et 267-268 enuntiata, edita est.

1. De Concilio. — Die 25 ianuarii 1959 praenuntiatum, a die 17 maii 1959, quo Pontificia Commissio Antepraeparatoria instituta est, usque ad diem 5 iunii 1960 Concilium sua tempora antepraeparatoria peregit. Commissio a sacrorum Antistitibus consilia et vota de rebus in Concilio tractandis postulavit, responsionesque omnes Sacris Dicasteriis Curiae Romanae notas fecit. Sacra Dicasteria multum ex hisce consiliis et votis haurire potuerunt, indeque sua proposita et monita Summo Pontifici exhibuerunt. Denique ecclesiasticae et catholicae Studiorum Universitates vota et studia protulerunt de rebus Ecclesiae profuturis.

Huius temporis antepraeparatorii acta et documenta comprehendit Series I (*Antepraeparatoria*) collectionis, cura et studio Secretariae Pontificiae Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Vaticani II typis polyglottis Vaticanis editae, sub nomine: *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando.* Haec series I (*Antepraeparatoria*) sic dividitur: Vol. I: *Acta Summi Pontificis Ioannis XXIII.* — Vol. II: *Consilia et vota Episcoporum ac Praelatorum.* — Vol. III: *Proposita et monita Sacrarum Congregationum Curiae Romanae.* — Vol. IV: *Studia et vota Universitatum et Facultatum Ecclesiasticarum et Catholicarum.* Huius seriei volumen I est publici iuris factum, alia vero sunt secreta. In serie II habebuntur acta et documenta *Praeparatoria.*

Quod attinet ad seriei I[ae] volumen I[um] (*Acta Summi Pontificis Ioannis XXIII*), hoc observari licet. Acta Summi Pontificis (p. 3-108) omnia etiam in *Periodica* edita sunt; Appendix I (p. 109-149), praebens Patrum Cardinalium litteras, quibus primum Concilii nuntium diei 25 ianuarii 1959 acceperunt, in *Periodica* edita non est; Appendix II (p. 151-163), continens consultationes Em.mi

P. D. Dominici Card. Tardini, in *Periodica* quoque invenitur. Acta autem, quae in Periodica sub numeris 2 14 20 30 31 35 72 73 89 91 habentur, in supradicto volumine I° Actorum non inveniuntur.

Die 5 iunii 1960, quo Commissiones Concilio Vaticano Secundo apparando institutae sunt, t e m p u s p r a e p a r a t o r i u m Concilii incepit. Nunc in studium rerum, quae in Concilio tractari poterunt, incumbunt coetus, quorum nomina ac munera in Periodica 49 (1960) 293-295 inveniri possunt. Addenda autem est Commissio Caeremonialis, quae postea instituta est (vide O.R. 18 nov. 1960).

Quod attinet ad Commissiones, nomina praesidum, secretariorum, membrorum, consiliariorum ac consultorum inveniri possunt in his publicationibus anni 1960:

L'Osservatore Romano: 6-7 8 16 20-21 23 29 iun.; 4-5 6 9 17 18-19 30 iul.; 18 19 21 26 27 29-30 aug.; 1 2 3 16 sept.; 14 26 28 oct.; 16 18 25 nov.; 1 4 8 11 14 30 dec.

Acta Apostolicae Sedis 52 (1960) 495-496 536-537 579-582 796-797 839-856 930-932 994-996.

Pontificie Commissioni Preparatorie del Concilio Ecumenico Vaticano II, a cura della segreteria della Pontificia Commissione Centrale. Tipografia Poliglotta Vaticana — 7 XII 1960 (180 pp.). In hunc libellum addenda sunt nomina, quae in O.R. 30 dec. edita sunt.

Haec nomina in *Periodica* edita non sunt.

2. De Synodo. - Die 25 ianuarii 1959 Synodus praenuntiata est, eius consilium die 18 febr. 1959 constitutum ac die 23 febr. 1959 inauguratum. Per hebdomadam 24-31 ian. 1960 prima Romanae Dioecesis Synodus celebrata est ac die 29 iun. 1960 promulgata.

Mense octobris 1960 editus est liber *Prima Romana Synodus A. D. MDCCCCLX,* Typis Polyglottis Vaticanis (XVI-622 pp.).

Eius leges a die 1 novembris 1960 in universa Romana dioecesi, in Basilica Petriana atque in Civitate Vaticana vim obligandi habent.

3. Notitiae Editoriales. — Quia interim bibliographia officalis augmentata est, in Capite II: *Series Actorum Chronologica,* indicatione perfectiori fontium, iterum omnia monumenta enumerantur, ergo a primo nuntio diei 25 ianuarii 1959 usque ad diem 1 ianuarii 1961. Ad unumquodque monumentum sigla adiecta sunt, quae argumentum indicant, scilicet C. = Concilium, S = Synodus, Cod. = Codex Iuris Canonici.

In Capite III: *Classificatio Actorum,* etiam de omnibus monumentis, ergo a die 25 ianuarii 1959 usque ad diem 1 ianuarii 1961, indicantur auctores, qualificationes, fontes ac argumenta; ratione utilitatis hic conspectus generalis confectus est.

Ultimus quo uti potuimus fasciculus *Acta Apostolicae Sedis* 52 (1960) est n. 14, die 28 decembris editus; documenta ergo posteriora coacti sumus desumere omnia ex *L'Osservatore Romano.*

4. Correctiones, Addenda, etc. - Quia Caput II: *Series Actorum Chronologica,* et Caput III: *Classificatio Actorum,* sicut nunc in hoc numero eduntur, omnia monumenta, a die 25 ianuarii 1959 usque ad diem 1 ianuarii 1961 publicata, iterum sed modo perfectiori tractant, eadem capita, sicut in *Periodica* 49 (1960) 70-75 et 268-273 exsistunt, expungi possunt.

Quod attinet ad Caput IV: *Textus Actorum secundum argumenta ordinati,* mutationes sequentes necessariae sunt in *Periodica* 49 (1960):

p. 85: post numerum 20 addendi sunt numeri 20a 20b et 20c, sicut habentur in Periodica 50 (1961) 64-66.

p. 90: in fine numeri 23 addenda sunt, quae habentur in Periodica 50 (1961) 66.

p. 105: post numerum 45 addendus est numerus 45a, sicut habetur in Periodica 50 (1961) 66-67.

p. 113: post numerum 47 addendus est numerus 47a, sicut habetur in Periodica 49 (1960) 273-274.

p. 114: in titulo numeri 49 loco O.R. 14-15 dec. legatur A.A.S. 52 (1960) 10-11.

p. 138: in titulo numeri 49 loco O.R. 14-15 dec. legatur A.A.S. 52 (1960) 10-11.

p. 139: post numerum 52 addendus est numerus 53, sicut habetur in Periodica 49 (1960) 305.

p. 277: post numerum 61 addendus est numerus 61a, sicut habetur in Periodica 50 (1961) 67-71.

p. 288: titulus numeri 88 sic legatur: **18 mai.**: *Nuntius scripto datus* a Summo Pontifice ad Em.mum P. D. Bernardum Ioannem S.R.E. Presb. Cardinalem Alfrink, Archiepiscopum Ultraiectensem, ad terminandam radiophonicam propagationem hymni « Veni Creator », in septem aedibus cathedralibus Europae die Dominica Pentecostes decantandi: A.A.S. 52 (1960) 480-481; Acta 87-88.

p. 290-291: loco numeri 90 legatur numerus 90, sicut habetur in Periodica 50 (1961) 71-75.

p. 291: in titulo numeri 92 loco O.R. 5 iun. legatur A.A.S. 52 (1960) 433-437; Acta 93-99.

p. 295: titulus numeri 93 sic legatur: **5 iun.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in Petriana Basilica, die dominica Pentecostes, post sollemnes Vesperas adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus, Romanae Curiae Praelatis permultisque christifidelibus: de Oecumenico celebrando Concilio: A.A.S. 52 (1960) 517-526; Acta 100-108.

p. 304-305: numerus 94 expungi debet.

p. 320: post numerum 87 addendus est numerus 90, sicut habetur in Periodica 50 (1961) 110.

p. 320: titulus numeri 93 sic legatur: **5 iun.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in Petriana Basilica, die dominica Pentecostes, post sollemnes Vesperas, adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus, Romanae Curiae Praelatis permultisque christifidelibus: de Oecumenico celebrando Concilio: A.A.S. 52 (1960) 517-526; Acta 100-108.

II. - SERIES ACTORUM CHRONOLOGICA

1959

1. - **25 ian.** (C.S.Cod.): Sollemnis *Allocutio* Summi Pontificis ad Em.mos Patres Cardinales in Urbe praesentes habita, in Coenobio monachorum Benedictinorum ad S. Pauli extra moenia, post Missarum Sollemnia, quibus in Patriarchali Basilica Ostiensi interfuerat: A.A.S. 51 (1959) 65-69; Acta 3-6; Periodica 49 (1960) 75.
2. - **26 ian.** (C.S.Cod.): Primus *Nuntius* in O.R. 26-27 ian. 1959; Periodica 49 (1960) 80.
3. - **28 ian.** (C.S.Cod.): *Audientia* Generalis: O.R. 29 ian. 1959: Acta 7: Periodica 49 (1960) 81.
4. - **30 ian.** (C.S.Cod.): *Audientia* Parochorum Urbis, in Monasterio Ss. Ioannis et Pauli congregatorum ad secessum spiritualem peragendum: O.R. 31 ian. 1959; Acta 8-9; Periodica 49 (1960) 81.
5. - **31 ian.** (C.S.Cod.): *Audientia* membrorum moderationis centralis Iuventutis Italicae Actionis Catholicae: O.R. 1 febr. 1959; Acta 10; Periodica 49 (1960) 83.
6. - **2 febr.** (C.S.Cod.): *Epistula* « A voi » Summi Pontificis ad populum Romanum: O.R. 21 febr. 1959; Acta 11; Periodica 49 (1960) 117.
7. - **7 febr.** (S.): *Audientia* « Gondolieri » Venetiarum: O.R. 8 febr. 1959; Periodica 49 (1960) 120.
8. - **10 febr.** (S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad concionatores sacri temporis Quadragesimalis in Urbe: A.A.S. 51 (1959) 192; Periodica 49 (1960) 121.
9. - **18 febr.** (S.): *Chirographum* « Ut huius » Summi Pontificis de constitutione ecclesiasticorum virorum consilii ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: A.A.S. 51 (1959) 228: Syn. 523-524; Periodica 49 (1960) 121.

10. - **18 febr.** (C.S.Cod.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis, quam habuit in Ecclesia S. Ludovici, Francorum Regis, cum primum eam invisit, adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus, Praelatis praeclarisque Viris e Gallica Natione: A.A.S. 51 (1959) 143; Acta 12; Periodica 49 (1960) 83.
11. - **21 febr.** (S.): *Audientia* membrorum consiliorum centralium Consociationis Mulierum et Iuventutis Actionis Catholicae Italicae: O.R. 26 febr. 1959; Periodica 49 (1960) 122.
12. - **22 febr.** (S.): *Audientia* Bergomatium, Romae residentium: O.R. 25 febr. 1959; Periodica 49 (1960) 122.
13. - **23 febr.** (S.): *Inauguratio* Consilii ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: O.R. 25 febr. 1959; Periodica 49 (1960) 123.
14. - **4 mart.** (S.S.): *Audientia* R.P. Friderici Schwendimann, S.I., moderatoris generalis delegati Apostolatus Orationis, cum P. Angelo Ronco, subsecretario Societatis Iesu: O.R. 6 mart. 1959; Periodica 49 (1960) 83.
15. - **14 mart.** (S.): *Oratio* Summi Pontificis pro Dioecesana Synodo Romana: O.R. 25 mart. 1959; Syn. 522; Periodica 49 (1960) 124.
16 - **15 mart.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad peregrinatores Venetiarum: O.R. 16-17 mart. 1959; Acta 13; Periodica 49 (1960) 84.
17. - **17 mart.** (S.): *Audientia* Consilii ac Sub-consiliorum ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: Bollettino del Clero Romano 40 (1959) 183; Periodica 49 (1960) 125.
18. - **19 mart.** (C.S.Cod.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Centrum « Volontari della Sofferenza »: O.R. 20-21 mart. 1959; Acta 14; Periodica 49 (1960) 85.
19. - **1 apr.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis Moderatoribus ac Delegatis e Catholicarum Studiorum

Universitatum Foederatione, qui Beatissimo Patri obsequii exhibendi causa Romam convenerant: A.A.S. 51 (1959) 300-301; Acta 15; Periodica 49 1960) 85.

20. - **3 apr.** (C.S.): *Audientia* membrorum Diocesani Consilii Romani Actionis Catholicae et Consilii Directivi: O.R. 5 apr. 1959; Periodica 49 (1960) 127.

20a. - **6 apr.** (C.): *Audientia* iuvenum ex Asia et Africa, qui Universitates studiorum in Europa frequentant: O. R. 8 apr. 1959; Acta 16; Periodica 50 (1961) 64.

20b. - **6 apr.** (C.): *Audientia* caecorum peregrinorum: O.R. 8 apr. 1959; Acta 17; Periodica 50 (1961) 65.

20c. - **12 apr.** (C.): Ex *Homilia* Summi Pontificis, habita pro Canonizatione Beati Caroli a Setia, Conf., et Beatae Ioachimae De Vedruna, Vid. De Mas: A.A.S. 51 (1959) 294; Acta 18; Periodica 50 (1961) 65.

21. - **21 apr.** (C.): Ex *Adhortatione* Summi Pontificis ad clerum, qui e tota Venetorum regione Venetias convenerat, in basilica S. Marci sacras exuvias sancti Pii Papae X veneraturus: A.A.S. 51 (1959) 86; Acta 19; Periodica 49 (1960) 86.

22. - **27 apr.** (C.): *Nuntius Radiophonicus* Summi Pontificis, quo locorum Ordinarii et universi orbis christifideles adhortantur ad impensas supplicationes habendas, per Maium mensem, ob Oecumenicum cogendum Concilium: A.A.S. 51 (1959) 314-316; Acta 20-21; Periodica 49 (1960) 87.

23. - **16 mai.** (C.): *Nuntius* de constitutione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico: O.R. 17 mai. 1959; Acta 22-23; Periodica 49 (1960) 89 et 50 (1961) 66.

24. - **17 mai.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Em.mos Patres, Exc.mos Praesules et christifideles, qui die Dominica Pentecostes in Basilica Vaticana interfuerunt sollemnibus Vesperis a Beatissimo Patre celebratis: A.A.S. 51 (1959) 420; Acta 24-26; Periodica 49 (1960) 90.

25. - **2 iun.** (C. S.): *Audientia* Rectorum 16 Seminariorum Regionalium Italiae: O.R. 3 iun. 1959; Acta 27; Periodica 49 (1960) 91.
26. - **5 iun.** (C.S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione « Horae Sanctae » in Basilica Vaticana occurrente festo SS.mi Cordis Iesu: O.R. 7 iun. 1959; Acta 28; Periodica 49 (1960) 91.
27. - **7 iun.** (C.S.): Ex *Nuntio* Summi Pontificis filiis operariorum occasione consecrationis B. Mariae Virg.: O.R. 8-9 iun. 1959; Acta 29; Periodica 49 (1960) 92.
28. - **14 iun.** (C.): *Audientia* Pontificii Collegii Graecorum: O.R. 17 iun. 1959; Acta 30; Periodica 49 (1960) 92.
29. - **18 iun.** (C.S.): *Audientia* Consilii ac Sub-consiliorum ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: O.R. 21 iun. 1959; Acta 31; Periodica 49 (1960) 129.
30. - **18 iun.** (C.): *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S.R.E. Card. Tardini ad Exc.mos Episcopos et Superiores Religiosos: Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59; Periodica 49 (1960) 93.
31. - **18 iun.** (C.S.Cod.): *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S.R.E. Card. Tardini ad Clerum Romanum: O.R. 12 iul. 1959; Periodica 49 (1960) 129.
32. - **21 iun.** (C.S.): *Audientia* Generalis: O.R. 22-23 iun. 1959; Acta 32; Periodica 49 (1960) 94.
33. - **29 iun.** (C.S.Cod): Ex *Litteris Encyclicis* « Ad Petri Cathedram » Summi Pontificis, de veritate, unitate et pace caritatis afflatu provehendis: A.A.S. 51 (1959) 498 510-511 514-516; Acta 33-39; Periodica 49 (1960) 94.
34. - **30 iun.** (C.): *Audientia* Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico: O.R. 4 iul. 1959; Acta 40-42; Periodica 49 (1960) 98.
35. - **18 iul.** (C.): *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S.R.E. Card. Tardini ad Rectores Magnificos Universitatum Ecclesiasticarum et Catholicarum: Pon-

tificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 2 C/59; Periodica 49 (1960) 98.

36. - **5 aug.** (C.S.Cod.): *Audientia* Generalis: O.R. 7 aug. 1959; Acta 43; Periodica 49 (1960) 100.

37. - **8 aug.** (C.S.): *Audientia* Seminarii Dioeceseos Bergomensis: O.R. 15 aug. 1959; Acta 44; Periodica 49 (1960) 100.

38. - **9 aug.** (C.S.): *Audientia* moderatorum dioecesanorum Actionis Catholicae Italicae: O.R. 10-11 aug. 1959; Acta 45-47; Periodica 49 (1960) 100.

39. - **23 sept.** (C.): Sacra Paenitentiaria Apostolica (Officium de Indulgentiis), *Oratio* ad Spiritum Sanctum pro Oecumenici Concilii felici exitu Indulgentiis ditatur: A.A.S. 51 (1959) 832; Acta 48; Periodica 49 (1960) 103.

40. - **26 sept.** (C.S.): Ex *Epistula Encyclica* « Grata recordatio » Summi Pontificis, de Mariali Rosario per Octobrem praesertim mensem pie recitando: A.A.S. 51 (1959) 677-678; Acta 49; Periodica 49 (1960) 104.

41. - **26 sept.** (C.S.): *Audientia* Generalis: O.R. 28-29 sept. 1959; Acta 50; Periodica 49 (1960) 104.

42. - **27 sept.** (S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis peregrinatoribus Civitatis ac Dioeceseos Tergestinae: O.R. 28-29 sept. 1959; Periodica 49 (1960) 134.

43. - **25 oct.** (C.S.): *Epistula* « Sull'inizio » Summi Pontificis de Dioecesana Synodo Romana: O.R. 30 oct. 1959; Acta 52; Syn. 528-530; Periodica 49 (1960) 135.

44. - **25 oct.** (C.S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis operariis, iuvenibus et aliis fidelibus: O.R. 26-27 oct. 1959; Acta 51; Periodica 49 (1960) 105.

45. - **28 oct.** (C.S.): *Audientia* Generalis: O.R. 30 oct. 1959; Acta 53; Periodica 49 (1960) 136.

45a. - **28 oct.** (C.): *Epistula* « The tender emotion » ad Superiorem Generalem Fratrum Franciscalium

« de Atonement », A. R. P. Angelum Delahunt: Acta 54-56; Periodica 50 (1961) 66.

46. - **30 oct.** (C.): *Consultatio* Em.mi P. D. Dominici S.R.E. Card. Tardini scriptoribus diariorum e toto mundo: O.R. 1 nov. 1959; Acta 153-158; Periodica 49 (1960) 105.

47. - **18 nov.** (C.S.): *Audientia* Generalis: O.R. 20 nov. 1959; Acta 57-58; Periodica 49 (1960) 137.

47a. - **29 nov.** (C.): Ex *Epistula* « Apostolici muneris » Summi Pontificis ad Em.mos PP. DD. Iosephum S.R.E. Card. Frings, Archiepiscopum Coloniensem; Iosephum S.R.E. Card. Wendel, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem; Iulium S.R.E. Card. Doepfner, Episcopum Berolinensem; aliosque Exc.mos PP. DD. Germaniae Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Locorum Ordinarios: communibus officiosis litteris respondet: A.A.S. 52 (1960) 37; Acta 59; Periodica 49 (1960) 273.

48. - **7 dec.** (C.S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis in basilica Ss. Apostolorum in vigilia festi Immaculatae Conceptionis B.M.V.: O.R. 9-10 dec. 1959; Acta 60-61; Periodica 49 (1960) 113.

49. - **14 dec.** (C.S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: A.A.S. 52 (1960) 10-11; Acta 62; Periodica 49 (1960) 114.

